3

CARMINA.


Quis leget hæc? . . . .

Perſ.

MATTHIÆ BUTTURINI

SALODIENSIS

CARMINA.



VENETIIS MDCCLXXXV.

Ex Tipographia Joannis Gatti

SUPERIORUM FACULTATE.

INCLYTO VIRO

PETRO PISANO

MATTHIAS BUTTURINI

F.

JURE in patricium adſcriberis ordinem, ſpectata tui

generis nobilitate. Paucis hisce verbis juvat ea omnia complecti, quæ de te, Petre Pisane, patria statuit, quæ Roma sensit, quæ universa audiit Europa. Multa occurrunt, poetarum carminibus, & annalium monimentis consignanda, quæ possem hodie, de te dicturus, in medium adferre: sapientissimorum hominum consensus, bonorum studia, ingenium & eloquentia oratorum, disceptationis præstantia & successus,

ju-

judicum ſanctitas, æquitas Principis, civium gratulationes, lætitia multitudinis, provincialium denique atque exterarum gentium expectatio & gaudium. At ego prorſus hæc miſſa facio, quum non a tantarum rerum celebritate & ſplendore, ſed a mentis tuæ vi, animique liberalitate, in tui admirationem alliciar. Quæ divino ſingula beneficio eveniſſe puto, ut in te unum ſe tota converteret civitas, &, qualis adoleſcens quantuſque eſ-

ses, plane cognosceret. Plurimum certe conferre solet Romana institutio, ut nobilissimi adolescentes litterarum, earumque artium, quæ litteris continentur, studium colant: ut intelligendi agendique rationem apprime discant: ut doctrinam cum suavitate morum conjungant: ut denique, omni solidæ eruditionis ac sapientiæ fruge in animum veluti traducta, otium sibi cum dignitate semper comparandum proponant. Sed tu,

Pe-

Petre Pisane, tuum quid ingenitum habes, umbratili exercitatione præstantius, & nativi, non adsciti plenum honoris. Nam vetus illa Pisanorum indoles, quæ immortali huic Reipublicæ magno semper fuit ornamento, in te adeo eminet, ut ad virtutis disciplinam, ad rerum gerendarum modum, ad patrum ac principum officia non ab aliorum monitis, aut consuetudine, aut exemplo, sed ab ipsa natura informatum esse,

om-

omnes facile intelligant. Potes igitur alacri erectoque animo in apertum quasi campum prosilire, ubi majorum tuorum gesta & laudes sese exhibent atque explicant. Te profecto nunquam talis ac tanta deficiet indoles, sive in Reipublicæ magistratibus verseris, sive in provinciarum administratione, sive in legationibus, sive etiam, si patria poscat, bellicis in rebus. Communem hanc omnium opinionem & spem satis ea confir-

firmant, quæ adoleſcens tum in magnum diſcrimen vocatus, tum ad ſummas opes evectus peregiſti. Etenim maximis expreſſam lineamentis ob oculos nobis poſuiſti viri illius imaginem, quem divinus Plato in Charmide temperantem inſtituit, ſortem in Lachete, in Lyſide amicitiæ cultorem, a voluptate alienum in Philebo, ubique autem prudentem & juſtum. Quare qui te noverint, hoc auſpicato die, quo tibi, & Piſa-

ne

næ genti, & patriæ recte consultum est, tuorum facta recensere, teque, facie animisque eorum similem, laudibus efferre contendunt. Ego autem, posita verecundia illa, quam in publicum venientibus solet metus famæ objicere, carmina quædam, quæ vel puer lusi, vel adolescens effudi, te auspice, in lucem emitto, ut & hodiernus dies, quantum in me est, a me in honore habeatur, & singularis meæ erga te ob-

obſervantiæ aliquod extet monimentum. Vereor, ne hiſce temporibus, in tanta ſcientiarum luce, reprehendar tum a philoſophis, quod carmina tibi ſiſtam, tum a poetis, quod mea. Tu vero omnium doctrinarum, quas vel judicii ſeveritas, vel elegantia ſermonis, vel rerum utilitas commendat, maxime ſtudioſus adoleſcens, philoſophos illos non audis, qui poetas, magnam & illuſtrem certe operam in civitatis diſciplinam

im-

impendentes, audent contemnere. Quemadmodum summos poetas ego quoque a teneris, ut ita dicam, unguiculis amavi & colui, utinam carmen vel unum potuissem aliquando ad rectam eorum normam efficere. Tunc equidem spei illius, in quam ex tua tantum humanitate deveni, magnam ultro partem in tua collocassem doctrina. Tu tamen, Petre Pisane, hominis qui te suspexit, si minus ingenium, at voluntatem

illa

illa animi tui amplitudine, cui ſe totum ipſe committit, facile probabis.

VENETIIS. IV. KAL. JUN.

LIBER I.

Continet Odas, & Hendecaſyllabos.

LIBER II.

Elegias, & Epigrammata.

LIBER III.

Quæ Hexametro carmine ſcripta ſunt.

MAT-

MATTHIÆ BUTTURINI
CARMINUM
LIBER PRIMUS.
I.
ANGELO EMO
EQUITI,
Veneta classis contra Tunetanos Imperatori.

EME (*a*), sacerdoti quæ vixi juncta Sichæo,
Manes infelicis Elisæ
Agnosce. Æterno manantia lumina fletu,
Et quod adhuc post sæcula multa
Alto vulnus hiat sub corde, atrosque tuere
Vultus. Eheu filia Beli
Quæ mala, quos casus, quos non sum passa labores!
Auro inhians opibusque mariti
Pyg-



(*a*) *Didonis manes Emum alloquuntur.*

Pygmalion, hunc Herculeas obtruncat ad aras.
  Nocte silenti apparet imago
Fœda viri, qualis tibi sistitur: impia regna,
  Voce monet, fuge fratris avari.
Congestis clam thesauris, juvat ire per altum,
  Et Tyrios deferre sodales.
Naufragio elapsi, Lybicæ succedimus oræ,
  Arvoque urbem ponimus empto,
Ah nimium capitis fidentes omine equini,
  Fossa sub tellure reperti.
Dum vim inferre parat, thalamum dum poscit Iarbas,
  Ausa mihi consciscere lethum,
Uxor Tartareas descendi fida sub umbras.
  Hæc dum vixi, Fata severa,
Immerito Dîs invisam ac mortalibus ægris,
  Vitali vel luce carentem
Me tetigere. Potens belli pacisque triumphis,
  Atque heroum magna creatrix
Urbs quam condideram, Romani militis iras
  Ter sensit. Vix littore quæras
Relliquias, aut deletæ vestigia Byrsæ.
  Immortali carmine vates
Ausi sunt castæ proscindere nomina Didus.
  Men' turpi succumbere culpæ?

Ex-

Exſulis amplexu requieſcere, jura pudoris
  Oblitam, & regalia ſceptra?
Mittam, quam Stygia mecum ſub nocte ſepulti
  Sæpe olli audivere querelam.
Nunc regnat, nunc convectat gens barbara prædas,
  Qua ſteterant Carthaginis arces,
Inſignique loci Genium, littuſque verendum
  Fœdat labe. Sed ira Deorum
Me premat æternum? Fruſtra nunc alloquar Emum?
  Noverunt alta oſtia Ditis,
Infernæque domus, Venetûm quid pectora poſſint;
  Et veſtro de ſanguine cretos
Vidi heroas ego, quos fortunata per arva,
  Nobilium ſtipante caterva
Umbrarum, læto alloquitur meus Annibal ore.
  Si te laus, ſi cura tuorum,
Si mala noſtra movent, Dux, macte ingentibus auſis,
  Urge pugnam, ictoſque profundo
Gurgite merge Afros: mea mœnia forte reſurgent.
  Talia vidit, & audiit Emus
Devictus ſomno: interea de parte ſiniſtra
  Summa poli intonuere; diemque
Purpureis Aurora vehens ſuper æquora bigis,
  Claſſis late nantis ahena

Eduxit tenebris arma atque albentia vela,
Et somnos discussit, & umbram.

II.

GABRIELI TREVISANO

Benacensi Præfecto.

HEU nostra multo pallida crimine
Ut marcet ætas! Fallere nescius
Candor, verecundosque vultus
Sæpe tegens probitas, fidesque
Terris recedunt. Per vetitum nefas
Æris cupido dira ruit, neque
Tristi reformidat rapina
Sacra Diis temerare fana.
Fœcunda culpæ semina patribus
Ter nequiorem in progeniem fluunt,
Urgentque naturæ supremum
Opprobrium vitiosioris.
Quisnam tot actas seditionibus
Componat urbes? Frena licentiæ
Effusa quisnam arctet, potentis
Justitiæ, Aonidumque custos?

Pru-

Prudentiores imperium, Duces,
Tenete; pœna crimina vindice
Mulctare, virtutemque pulchris
Discite muneribus fovere.
Neglectum utrumque haud fata parat minus
Acerba regnis, quam manus impia
Victoris hostis. Vos avaræ
Perfidiæ metuendus ultor,
Rectamque callens rebus in asperis
Servare mentem, vos docet integer
Princeps Trevisanus, Minervæ
Dulce decus, Themidisque cura:
Non hunc inanis gloria, non potens
Decepit aurum: contigit omnibus
Tutela præsens; nec gementum
Aura levis rapuit querelas.
Benacus alto hinc gurgite citrea
Tollit revinctum fronde caput, suis
Miratus in ripis beatos
Ire dies, veteresque mores.

III.

IN NUPTIAS BARTOLOMÆI JULIARI PATRICII VERONENSIS,

Post gravissimum ejus morbum.

NON quæque terris optima demetunt
Fati rapaces ante diem manus.
Avara mors nequicquam avitis
Adjicere hunc properabat umbris
Acrem Deorum præsidio virum,
Quem docta Pallas, quem Charites fovent
Ad pulchra natum, nec morantur
Otia, degeneresve curæ,
Nutrita castis sub penetralibus
Virtus, & ardor cedere nescius,
Stravere, Lucina volente,
Auspiciis thalamum secundis.
Longum ille vivat, Juppiter annuit
E summo Olympi vertice, conjugis

Di-

Dilectæ in amplexu daturus
Lætam animam, pueris relictis.
Quis tam beato prætulerit toro
Erecta regum altaria nuptiis?
Faces maritæ ah ſæpe belli
Horribilem explicuere flammam.
Prudentis o qui conſilio Jovis
Auges bonorum pectora civium,
Ex Juliari ſtirpe cretos,
Pulcher Hymen, recrea perenni
Cura nepotes: ſic face mutua
Flagret juventus ſemper, & integris
Sic zona ſolvatur puellis
Semideûm thalamo beandis.

IV.

AD EGREGIUM POETAM

MARCUM CAPELLUM

BRIXIENSEM,

Brachio laborantem.

NE dextra credas numina vatibus
Adeſſe ſemper, Marce: pium caput
Vidi ſeveris ſæpe fatis
Expoſitum, rapidæque morti.
Quid civium mens recta, quid indoles
Aucta in receſſu Socraticæ domus
Poſſit, vel adverſis ſubacta
Rebus, amat docuiſſe vulgus
Sator Deorum. Maſcula cædibus
Damniſque virtus cognita, luridas
Obliviones atque avaræ
Invidiam domat una Parcæ.
Vix ille dignus cingere Delphicam
Laurum, & Deorum ſedibus inſeri,

Qui

Qui pace gaudentes Camœnas
In tacita meditatur umbra.
Ille, ille cingat, qui pedibus metus
Subjecit omnes, triſtitiæ potens, (a),
Canitque, fortunamque magno
Provocat aſſiduus duello,
Tumultuoſi fluctibus Hadriæ
Actus paventum ſeu comitum audiat
Lamenta; ſeu nimbo ſonanti
Deſiliens lapidoſa grando,
Late paternis ſternat agris ſata,
Anni labores; ſive gregi vago
Incumbat, aut plantis maligna
Luxuries, vel iniquus æſtus.
Quæ, Marce, ſentis; exſere; neu ducem
Culpes equorum, ſaxave triſtia,
Si forte dejectus volanti
Excutias humerum quadriga.
Quos te canoris edocuit jugis
Pindi beatos Calliope modos,

Nunc



(a) *Potens triſtitiæ, vel iræ, vel ſuperſtitionis recte dicitur, qui ab hiſce animi affectionibus ſe vinci non patitur.*

Nunc fas inire, atque hofpitales
Dicere carminibus penates.
Eſt Muſa præſens: audiat, audiat
Vatem vel ægrum docta ſodalium
Manus canentem, qualis udum
Dulcis olor gemit ad Cayſtrum.

V.

INCLYTIS VIRIS

DOMINICO CONDULMERO

BENACENSI PRÆFECTO,

ET FRANCISCO EJUS FRATRI

Antiſtiti Famauguſtano.

SAT imperavit mollibus otiis,
Turpique luxu ſæva Cupidinum
Mater; cruentas ſat per orbem
Mars acuit metuendus iras.
Terris reducit jam ſua ſæcula
Aſtræa: noſtris crimina finibus

Ul-

Ultra pharetratos Gelonos
  Ejiciet, rapidumque Tigrim.
Quos ante longa nocte coercitos
  Avara tellus condiderat ſinu,
  Ad lumina atroces Catones
  Elyſiis rediere ab umbris.
Gaudete, cives; mittitur integer
  Recturus urbes ſanguis ab Hadria,
  Inſignis heroum parentum
  Indole, & egregiis triumphis.
Pro re Latina, pro decore imperî,
  Pro jure priſcus vivit adhuc amor;
  Extantque virtutes avitæ
  Mentibus ingenitæ nepotum.
Nunc verberantem grandine & imbribus
  Rura, & tonantem nubibus arduis,
  Nunc molle ſpirans ver, & almo
  Sole dies placidos ferentem
Regnare rectum intelligimus Jovem.
  Commiſſa noſtri regna tenent Duces
  Ritu Tonantis, ſeu ſceleſti
  Terga viri fugientis acri
Petant flagello, ſeu faciles alant
  Intaminatam non ſine gaudio

Pa-

Pacem per urbes, & difertas
Muneribus revocent Camœnas.
Benace felix! Te vice principes
Grata gubernant; rite videbimus
Parere Condulmero amœnas,
Quas habuit Trevifanus, oras.
Extolle lætis carminibus Ducem,
Ducifque fratrem; & difce, domefticum
Quid poffit exemplum, & beatis
Liminibus fimul aucta virtus.
Sic lucet omni fidere pulchrior
Sol; at profundo fplendidior vitro
Ardet repercuffus, fuifque
Se radiis ferit, & refultat.

VI.

In Sacrum Oratorem.

SIC eft: fupremi progenies patris
Aperta vultu, nudaque veritas
Splendore nativo refulget
Pulchra fatis, nec eget rotundo

Ser-

Sermone, nec vi divitis ingenî.
Cognata cælo gratia ſimplicem
Deducit hærens, atque limbo
Sanctus amor ſequitur ſoluto.
Facunda cedunt carmina, tibiæ,
Et doctus amnes ſiſtere eburneus
Pecten. Sophoclæo cothurno
Illa placet magis, illa frenat,
Urgetque mentes ſemper amabilis,
Semperque victrix. Macte, Dei potens
Orator, hanc, qualem magiſter
Edidit, eloquio nitenti
Docere, & alta mente reponere
Inſiſte: ſic gens multa tibi lubens
Advertet aures; ſic in ævum
Integra nos pietas manebit.

VII.

VII.

In Ædis Marciæ Procuratorem.

QUID præſtet, & quid dedeceat, ſuos
Monere cives, Mercurialium
Hæc dos virorum eſt. Sæpe dives
Eloquii, ingeniique vena
Succurrit almis rectius urbibus,
Quam flava regis dextra Midæ queat,
Ex quo renidentis metalli
Semina concipiens, arenis
Pactolus olim palluit aureis.
Spectat benigno lumine Juppiter,
Ævumque fortunamque ſupra
Tollit humo, ſuperiſque miſcet
Dîs eloquentem; dum tamen illius
Stet æqua mens, nec diſſideat ſibi,
Nec arctet, immittatve habenas
Aut populi arbitrio, aut potentum,
Heroas inter, quorum humeris honos
Saluſque regni innititur, ordinem

Re-

Rerum gerendarum modumque
Ante oculos posuisse docta.
Sic ille legis Porcius Oppiæ
Assertor acer, nil muliebribus
Commotus ausis; sic Eois
Eminet, Hesperiisque notus
Auctor Latini Tullius eloqui;
Et qui profunda voce tonans, decus
Æternum Athænarum, potentis
Subruit insidias Philippi.
Quid parca virtus, quæ sibi consulat,
Obliviosо discrepat otio?
Laudanda, quæ prosit, supremæ
Assimilis, solidoque ductæ
Auro catenæ, quæ socialibus
Centum coercens orbibus annulos,
Summo axe suspendit trementes
Mole sua, pelagoque terras.
Testis mearum Cecropius Plato
Sententiarum est, Mæonidæ patris
Consultus interpres. Profanum
Multa nefas didicisse vulgus.
Audis, Georgi? Non ego plurima
Anciliorum, & cassidum, & ensium

Cœ-

Cœlamina, & ſtantes avorum
Effigies, vetereſque faſtos,
Non quidquid ad te ſpectat, & ad patres,
Natoſque, longo carmine perſequar.
Te Dîs, amicorum catervæ,
Et patriæ, imperioque cara
Virtus beatis auxit honoribus.
Laudes, & oſtro ſplendida tegmina
Quæ ſumis, huic cedunt: ſuperbo hæc
Regum apice, hæc potior triumphis.

VIII.

Virtutis laudes.

SALVE, Deorum cura potentium,
Turpis repulſæ neſcia; quis tuas,
Virtus, quis enarraſſe laudes
Audeat, & poſuiſſe metas?
Te læta cornu divite copia,
Te clara multis gloria honoribus,
Alma & voluptas, & virenti
Gratia nexa caput corona

Sti-

Stipant frequentes. Vulgus iners humi
Te nil moratur; ſed fugiens rapit
Te penna ſupremas per oras,
Ocyor aeriam ſagitta
Scindente nubem. Solis, & Æoli
Intacta ſedes aſpicis, intimum
Cubile nec palles Tonantis
Per ſonitus penetrare Olympi.
Mortalium, illis arcibus inſidens,
Minuta longe pectora deſpicis,
Vexata curarum tumultu,
Ceu fragilem maris unda cymbam
Exercet. Illic ſpes avidas, metus,
Et ſtulta rides gaudia; nec Jovis
Iras in orbem, nec venena
Invidiæ, neque pertinacis
Metam extimeſcis tangere funeris.
Quid te tueri heu non datur? Improbos
Quid per labores, perque caſus
Te poſuere Dii parandam?
Terras colentem te bona Romuli
Gens vidit olim; nunc penitus lates,
Qualis, polo vix orta, fulgens
Fax liquidum occulitur ſub æquor.

Nam quis Catones, aut Curios ſequi
Curet? Cupido regnat, & Itali
Virtute mutarunt avita
Otia lenta, dapeſque molles.

IX.

IN PIAM VIRGINEM

LAURAM PASSALAQUAM.

DESPICI gaude, bona virgo: ſacræ
Integrum ſerva penetrale ſedis.
Ardeant multi, ſine, ſub nitenti
Luce videri.
Cerne, ſi mentem ſubit ampla mundi
Scena: diſcordis male trita vulgi
Fervet incurſu, miſeriſque paſſim
Perſtrepit actis.
Pulſa ceu ventis ſeges huc & illuc
Flectitur, ſervum pecus, ægra turba.
Carpitur, carpit; videt, ac videtur;
Dicit, & audit.

Quis

Quis modus rebus, positusque finis?
O nimis sero dolitura! summa
Quum poli, atque imas quatiet supremus
Arbiter umbras.
Jam tuum, ah frustra, decus invidebit
Illa; quæque horto viret in reposto
LAURUS, hæc cedros super & cupressos
Ardua surget.

X.

CAROLO ANTONIO MARINO

PRÆFECTO BENACENSI.

SUMME regnator lyricæ cohortis,
Qui Deos, Regesque canens, Deorum
Stirpe prognatos, veteres sacrasti
Carmine Thebas,
Sic pater longum maneas in ævum,
Et tuo hærentem capiti coronam
Detrahat nunquam Tiberis, vel Arni
Æmulus ales,

Adſis o, quæſo, citharamque nervis
Præbeas doctam reſonare ſeptem,
Pindare, ut dignam meditemur ęquo
Principe Muſam.

Fallor? An pennis ego Dædalæis
Certior tendo ſuper aſtra ? Dextrum
Sentio numen; levat aura parvum
Obvia vatem.

Ætheris celſas video per oras
Aureo Aſtræam volitare curru,
Quem trahunt laxis generoſa loris
Colla leonum.

Virgini currum dedit alma Divûm
Mater, Idæis ululata ſaxis;
Advola, dixit, mihi perge gratas
Viſere terras.

Miror inſigni caput impeditum
Fronde, & albentem per inane veſtem:
Non manu verber, ſcelerum nec ultor
Emicat enſis.

Dextera quercus gerit illa ramum,
Altera lancem: facili verenda
Ore majeſtas ſedet, ac ſerena
Lumina rident.

Omen

Omen agnoſcis, bona plebs? Beatæ
Carolus regnat moderator urbis;
Efficax priſcum reparare, pacis
Arbiter, aurum.
Irrogat pœnam piger ille, munus
Dat celer ritu Jovis; & remiſſo
Utilis freno, placidaque gentem
Continet arte.
Civium cuſtos ſimul, & ſacerdos
Delii patris, ſtudet æmulari
Orpheum, blandis fidibus morantem
Flumina & auras.
Hinc pedem, ſera procul uſque Thule
Exſules, ſanctæ retulere Muſæ,
Et boni mores, & aperta læto
Gratia vultu.
Dira nunc Gallus paret in Britannos
Arma: vos vires ſociate, Iberi;
Qua patent Nerei vada ſalſa, multas
Ducite naves.
Non ego quæram, trepidemve, quem ſors
Ornet, aut virtus: ſpoliis ſuperbæ
Non placent puppes mihi, non redemptæ
Sanguine lauri.

Pace flaventes Ceres alma fruges,
Pace jucundos Bromius racemos,
Pace fert gratas oleas Camœnis
Innuba Pallas.
Spes, opes, artes, focus, ara faustis
Dîs vigent passim; ingenuisque juncta
Castitas curis, agit apta ruri
Otia, & urbi.

XI.

De Amore.

CUR, Deum vitans male sanus, alta
Solus abruptæ petis antra rupis?
Quam potens arcet Deus, anne reddat
Silva quietem?
Sive Getulos, vel inhospitalem
Caucasum, vel Bactra adeas, vel Indos,
Sive pallentes tegat inter umbras
Te niger Orcus,
Semper ardenti jaculans sagitta
Te sequar; longos gemitus ciebo

Sem-

Semper; & multum bibet haſta corde in-
Fixa cruorem.
Virginum ſpretor, Venerisque matris
Noſtra riſiſti ſatis arma; duras
Et tuo dignas mihi, vane, ſolves
Crimine pœnas.
Claviger ſenſit domitor ferarum,
Tela quid poſſint mea; ſenſit ipſe
Maximus Divûm, poſuitque ſæva
Fulmina dextra.
Hic amans inter fruticeta aprorum
Abdidit ſeſe: fuit albus ales:
Aureus fluxit; mediiſque taurus
Mugiit undis.
Ipſe deſcendi Stygias ad undas
Victor; Ennæis rapui ipſe campis
Matre flaventi genitam, feroque
Dite jugavi.
In meum jactat caput hæc Cupido,
Imminens tergo. Nemorum receſſus
Quæro nequicquam, poſiturus ægras
Pectore curas.
Candidæ ſemper facies Eliſæ
Saucio occurrit mihi vel remotis

Rupibus; mentemque oculoſque imago
Vana ſatigat.
Læta frons, crinis niger, ora blanda,
Multa pulchrarum ſimulacra rerum
Per fores ludunt animi, meantque
Semper, & errant.
Illa (quis credat?) vitreo ſub amne,
Gramine in molli, iliceoque trunco,
Et mihi albenti per inane viſa eſt
Obvia nube.
Sæpe Benaci virides ad oras
Arte ducentem facili choreas,
Sæpe texentem video reſecto
Flore coronas.
Hei mihi! ſæpe & voco, ſed vocanti
Sola reſpondet memore e propinquo
Echo; fertque omnes levis huc & illuc
Aura querelas.

XII.

AD

ANDREAM ROTINGUM

SALODIENSEM,

Bacchanalia.

UID tot nectere somnia?
  Quid vel Bassaridum, vel Dryadum agmina,
Quæ silvis choreas agant
  Potentve, ambiguo dicere carmine?
Jam non saxa per avia,
  Non per rura Diis grata bicornibus,
Sed per Cenomanûm oppida
  Effusi populi plausibus, & rotis
Late pulsa sonantibus,
  Rotinge, eximiis Orgia Bacchica
Exercentur honoribus.
  Acris duxit hiems urbibus otia,
Quæ ver mox tepidum crepet.
  Gaza multiplici, & marmore splendidæ

Com-

Complentur procerum domus,
Et plectris resonant, & strepitu pedum
In noctem. Indica poculis
Fumant dona, riget citreus amphora
Flaventi liquor; & gelu
Concreti latices membra calentia
Mulcent. Aspera flectitur
Lætis mixta choris fœmina; Cypria
Mater pectoribus faces
Subdit, vimque pigris addit amoribus.
Nos nec sub Veneris jugo
Flammæ spes recreat credula mutuæ,
Nec laxant choreæ, neque
Pernox proposito dimovet alea.
Magnam Æneida maximæ
Conferre Iliadi nunc juvat; aut modos
Alta mente reponere,
Quos olim rapidum natus ad Aufidum
Romanæ Fidicen lyræ
Dircæo cecinit non minor alite.
Æquo haud corripiar patre,
Impellente animum pinguis & hispidi
Baldi heu volvere codices.
Interpono libris gaudia, fortior

Cer-

Certaturus ad arduam
  Metam, te ultro ſequens pulvere nobili.

XIII.

AD OPTIMUM AMICUM

VINCENTIUM DANDULUM.

CURA videri credulus alteri, &
  Arcana legum ac vim fuge quærere,
  Quidquid potentum mens ſeveris
  Juſſerit arbitriis, aviti
Augere vires imperii efficax.
  Quæ regna fulgent labe carentia?
  Quæ jura conduntur, ſupernis
  Ordinibus placitura, & imis?
Semper ſub ictu vivitur. At boni
  Debent alumni Socraticæ domus
  Commune cum caris amicis,
  Dandule, ferre jugum, ac ſilere.
In damna jactat ſe ſua, retibus
  Quæ colla quondam ſuppoſuit fera;

Sæ-

Sævoque cervices furore
Arctius, excutiens, revincit:
Sic Dî volunt, ſic fata. Quis audeat
Inhoſpitalis ſternere Caucaſi
Immane ſaxum? Quis voraci
Eripere ex aquila Prometheum?

XIV.

Ver:

DEſine, Muſa,
Nocte ſub alta
Nectere Grajo
Impia regum
Facta cothurno;
Deſine longum
Dicere bellum
Patris Homeri
Ore profundo:
Incipe, quæſo,
Mollia mecum
Edere dulci

Car-

Carmina in umbra.
Talia poſcit
Purpureum ver;
Talia flavus
Suadet Apollo,
Lucida Tauri
Signa reviſens.
Ecce ſolutus
Montibus altis
Lene ſtrepenti
Labitur amne
Vitreus humor.
Nulla ſonoro
Turbine venti
Aere miſcent
Prœlia: nullus
Candidus alta
Stat nive collis.
Ridet aperto
Lumine cælum;
Blanda tepentis
Aura Favonî
Corda relaxat;
Frondis honores

In-

Induit arbos;
Undique olenti
Germine vernat
Dædala tellus.
Mane rubenti
Lætus agrestem
Inflat avenam
Pastor, ovesque,
Gramina rore
Uda legentes,
Carmine mulcet:
Qui mare sævum
Nauta, nigrumque
Imbribus Austrum
Horruit altis
Naufragus undis,
Sortis iniquæ
Immemor ille,
Molliter aura
Flante, pererrat
Puppe refecta
Maxima Nerei
Stagna; canitque
Arma, virumque,

Te-

Teque furentem,
Saucia Dido.
Ultima linquens
Oſtia Nili
Tranat hirundo
Aera pennis,
Ruraque ab anno
Itala luſtrat.
Grata loquaci
Carmina ab ore
Audio: oberrat
Illa, lutoque
Undique lecto,
Conſtruit altos
Provida nidos.
Ruſtica, Fauni,
Numina lætas
Ducere certant
Valle choreas;
Mixtaque palmas
Plurima nectit
Candida Nympha.
Nuda ſub altæ
Tegmine fagi

Mol-

Mollibus herbis
Fulta recumbit
Cypria mater;
Multaque circum
Turba ſupraque
Plaudit Amorum.
Fuſus ad auras
Vertice gratum
Spirat odorem
Crinis: uterque
Sideris inſtar
Ardet ocellus:
Lactea ſurgunt
Colla: labellis
Gratia ridet
Multa, geniſque;
Fronſque ſereno
Splendet honore.
Te quoque, cara
Theſtyli, in arvis
Te manet alma
Mater Amorum.
Dulce ſonantes
Amne receſſus,

Pi-

Pictaque mecum
Rura ſubire
Ne tibi, vita,
Sit pudor; omnes
Pectore curas
Mitte. Quid ædis
Poſtibus hæres,
Dura? Quid uſque
Sola moraris,
Theſtyli? Amantes
Roſcida plantæ,
Læta natantum
Vita, volucrum
Garrula turba,
Grexque, genuſque
Omne ferarum
Maxima ſenſit
Numina Matris.
Ipſa Menalcam
Aſpice fratrem;
Iſte beato
Vinctus amore
Chlorida longo
Crine decoram

Deperit; illa
Uſque Menalcam
Ardet & uſque,
Et ſibi carum
Non minus alma
Luce, ſuiſque
Perdita jurat
Eſſe medullis.
Quid, mea vita,
Spes mea, dulci
Dulcius unquam
Credis amore?
Neſcia curæ
Alma voluptas,
Somnia læta,
Carmina, avenæ,
Siſtra, choreæ,
Mutua menſa,
Gratia, riſus,
Fixa labellis
Oſcula mille,
Cuncta ſequuntur
Gaudia amorem.

XV.

AD

MARCUM CAPELLUM.

Lugete, hendecasyllabi: reposta
Antra flebilibus sonent querelis:
Lugete, Aonides; neque ullus unquam
Vestro sit modus, aut quies dolori.
Lugete, æquorei venusta proles
Benaci, undique quotquot estis omnes
Nymphæ, tuque potens Minerva, tuque
Auctor carminis o diserte Apollo.
Jucundissimus ille Marcus, ille
Vatum maximus unus Italorum,
Marcus ille, amor omnium, decusque
Brixiæ, Jovis unica ille cura,
Decumbens modo brachio laborat:
O saxa impia! Prave dux equorum!
Sævi quadrupedes! Scelefte currus!
Vestra nunc opera simul videntur,

Domi quantum erat elegantiarum,
Simul deliciæ, ſimul lepores,
Simul gaudia noſtra concidiſſe.

XVI.

Ad eundem.

EST recte tibi, Marce, care Marce,
Dulci carmine, & ingenî beata
Vena, & omnigena eruditione
Primos inter habende Phœbi alumnos?
At certe tibi debet eſſe recte,
Dîs cariſſime, gentibuſque vates.
Sumus nos memores profecto, quum te
Primum vidimus ad nitentis oras
Benaci ædibus in Roſinianis.
Æger, dum rapidus caniculari
Æſtu ſol fureret diesque longa,
Fracto (fors mala!) brachio jacebas.
Tuo tunc dolui dolore: mæſtos
Lugere hendecaſyllabos; repoſta
Late flebilibus modis ſonare

An-

Antra tunc docui. Assidens jacenti,
Ceu patri soboles, frequens bonorum
Quæ convenerat in diem caterva,
Dolebat tibi; & ipsa mox jubebat
Te bono esse animo; tuasque laudes
Alterno alloquio canebat, acri
Questu tam grave prosecuta fatum.
Dum mentem subit hæc imago rerum,
Adhuc & lacrimæ effluunt ocellis.
Nostin' vero hodie, quis ista tandem
Ad te scripserit? Omnis anne cura
Tibi pulsa mei est? Tuum solebas,
Pro tua eximia benignitate,
Matthiam placida vocare voce,
Matthiæ & tenuem probare Musam
Quid nunc? Haud dubito: me amas, amas me;
Quare, quid cupiam impetrare, aperte
Dicam jam tibi. Pauperum parentum
Sanguis quinque sumus, Capelle, fratres;
Quos ab unguiculis pii parentes,
Nec malis avibus, dedere alendos
Pudore ingenuo, artibusque honestis;
Civis ut bonus esse quisque possit.
Me legum studiis, patrisque Phœbi

Florentem urbs Patavina vidit olim;
Legatus patriæ meæ, beata
Nunc dego Venetorum in urbe. Fratrum
Alter, cui meliorque, ſanctiorque
Stat mens, eſſe Dei miniſter ardet;
Intendit vigil alter ille merces
Permutare; domeſticas tueri
Iſte res, patre jam ſene annuente.
Quid reſtat modo gentis ad perenne
Gaudium, ſtabilemque dignitatem?
Eſt frater quoque, qui mihi in medullis
Hæret, ingenio ſatis polito,
Antiqua & probitate diligendus:
Cajetanus hic eſt; diu moratus
Propter Medoaci fluenta, pulchram
Naturæ faciem, ordinemque rerum,
Atque artis medicæ ſacros receſſus
Gaudebat meditari; & inde nuper,
Felix merce nova, & revinctus empta
Lauro tempora, patriam reviſit.
Nunc modos varios medendi, & uſus
Ut diſcat bene, Brixienſe geſtit
Ingredi Noſocomium; ſed obſtat
Multorum, id cupientium, caterva.

Huic

Huic tu, Marce, potes favere; namque
Multum nomine, gratiaque polles.
Qui præſunt Noſocomio, ecquid unquam
Roganti poterunt negare Marco?
Marcus eſt pater elegantiarum:
Eſt vatum optimus unus Italorum:
Eſt cura, eſt honor urbis; ecquid unquam
Roganti poterunt negare Marco?

XVII.

De Sacerdote, primum litante.

AT vero illa dies adeſt, Joannes,
Optata illa dies, & uſque læta,
Magnum quæ tibi detulit triumphum:
Gaude ſorte tua, pioſque dulci
Spe ſolare metus; Deoque grates
Solve. Te manet ara, teque Chriſti
Mores, & placita, & ſuprema fata
Revolventem animo, atque amore recti
Ardentem ipſe vocat Deus, Sacerdos.
I, non thuricremam bidentis aram
Sanguine imbuis; aut bovis, revincti

Rosis cornua frondibusque, sacrum
Transfodis jugulum. Novus minister
Creatus nova gentibus necesse est
Feras auxilia. En salutis auctor,
Qui cælo genitus, simulque terris,
En de lumine lumen, ecce Christus
Summis labitur atriis Olympi.
Pro pio grege, pro impiis litare
Deo disce Deum, Patrique Natum;
Sume pocula dia, sume sacras
Dapes, Numinis illud invidendum
Munus, quod Stygiæ verentur umbræ,
Obstupensque Deûm colit Senatus.
O felix nimium, quaterque felix,
Quem tanto pietas honore donat!
At te jugis amor, vigilque cura
Sacrorum teneat, Deique semper
Dona, & jussa verere; namque functus
Hisce olim studiis, laboribusque,
Et compagibus artuum solutus,
Christi, qui subit abditus quasi alta
Nube nunc animi tui recessus,
Aperta aspicies beatus ora
In domo Patris, in Sione sancta.

XVIII.

XVIII.

AD

DOMINICUM DOMINICETI

SALODIENSEM,

EJA vos jubeo, quot eſtis omnes,
Sales ingenui, boni lepores,
Et molles numeri Catulliani,
Novum ſumite iter, novaſque vires.
Virum tollite ad aſtra, cujus olim
Gentem nominibus beavit amplis
Cæſar, nunc Veneti Patres, iiſdem
Aſſertis, veniens beant in ævum.
Novum ſumite iter, novaſque vires.
Virum tollite ad aſtra, qui vetuſta
Profecto, egregiaque ſtirpe cretus,
Suopte ingenio, ſuiſque factis
Non tantum æquiparat, ſed unus omne
Vincit nobilium decus parentum.
Novum ſumite iter, novaſque vires.

Vi-

Virum tollite ad aſtra, balneorum,
Thermarumque ſalubrium magiſtrum,
Quas cum Pieridum choro probarunt
Europæ Genius, paterque Phœbus',
Et miris celebrant modis Britanni;
Gaudent ſcilicet his bonam ſalutem
Tueri, ac reparare, nec per annos
Pallentes trepidant videre manes.
Novum ſumite iter, novaſque vires.
Sed quid poſco ego vos? Mehercle pulchra
Mecum adhuc ceciniſtis; at canenda
Superſunt alia uſque pulchra & uſque;
Nec vobis datur aſſequi quod opto,
Quanquam vos jubeo, quot eſtis omnes,
Novum ſumere iter, novaſque vires,
Sales ingenui, boni lepores,
Et molles numeri Catulliani.

XIX.

XIX.

In Præfectum Benacensem.



QUID sumis celebrare, Musa, docti
Gaudens hendecasyllabis Catulli?
An juvat lepido vocare versu
Ad cælum Venerem? Hæc Deûm voluptas
Unica, hæc hominum. Negas? Ad altum
Horridus quatit arma Mars Orontem.
Minus materiam tuo hinc lepori
Placet sumere? Multa habes canenda.
Annus purpureos tulit racemos;
Benaci nitet æquor, & Minervæ
Alluit placitas, patrique Baccho
Oras; Hadriacæ beata matris
Vigent regna. Sed integer, probusque
Dux tuos habeat jocos, Camœna,
Marcus scilicet: unus ille prudens
Benaco favet, Hadriæque; pacem
Alit, jura, negotiationem,
Artes ingenuas; & unus ille
Tuos esse aliquid putat libellos.

XX.

XX.

De Puella.

PRÆSTANTI ingenio puella, ſalve,
Multis grata jocis, facetiiſque,
Atque omni genere elegantiarum.
Salve, purpureis puella malis,
Mellitis oculis puella, ſalve,
Et labro tenui, brevique naſo,
Et ſinu niveo, comiſque flavis.
Salve terque, quaterque, centieſque,
Millieſque, puella bella, & ultra.
Formæ nulla tibi optimæ deeſt pars;
Nec bonus pudor, integrique mores
Abſunt. Munera contuliſſe certant
In te Mercuriuſque, Juppiterque,
Et regina Venus Gnidi Paphique,
Et quantum eſt ſuperûm potentiorum.

XXI.

De uxore Talli. (*a*)

EST ſane tibi pulchra, Talle, conjux;
Docta, dives, & uſque bella & uſque;
Quæ ſaltat bene, quæ micante ridet
Labello, & loquitur canitque dulce,
Luditque. At ſi ego forte tres haberem
Huic tuæ ſimiles, duas mehercle
Diti ſponte darem, ut, ſurente captus
Amore, eripere ultimam pararet.

(*a*) *Hoc ex Gallico epigrammate; paucis mutatis; latine reddidit auctor.*

XXII.

XXII.

In puerum impudentem.

TANDEM e liminibus pedem extulisti,
Poeta lepide, & tuas puellas
Invisis Saloi, & tuos amicos.
Sed quid est, mihi quod videris esse
Buxo pallidior, crocique flore?
Infelix! Venus ulcerosa toto
Sævit corpore, & occupavit ossa.
Hæc forum Saloi perambulanti
Impudens retulit mihi Cinædus;
Cui benignus ego: meam dolere
Sortem desine, care; nulla tabes
Hæc confluxit in ossa; namque semper
Cinædum timui, & Cinædi amores.

XXIII.

De Neæra.

QUIS credat, bona quod Neæra faſſa eſt?
. . . .
. . . .
O prædure vir! O puella mitis!

XXIV.

AD EGREGIUM POETAM

JOANNEM GREPPI

Bononienſem.

O Magnum Auſonii decus theatri,
Socco, atque Æſchileo potens cothurno,
Jucundiſſime amice, dat ſalutem
Plurimam tibi Butturinus, ille
Scilicet tibi Butturinus arcto
Vinclo amicitiæ, licet recenti,

Uſ-

Usque junctus & usque; namque utrumque
In Musas agit, & bonas puellas
Ardor unus, amorque singularis.
Dat ergo tibi plurimam salutem,
Teque omni rogat obsecratione,
Ut, si id forte animo excidit, quod ille
Heri a te petiit, petitque rursus,
Ne rursus patiaris excidisse,
Nempe carmen. Id ille te rogavit
Hesterna, id rogat hac die, & rogabit,
Id donec referas, fidemque præstes.



MAT-

MATTHIÆ BUTTURINI

CARMINUM

LIBER SECUNDUS.

I.

AD

NOBILISSIMAM FOEMINAM;

In obitum filiolæ.

QUOS vultus! Quæ nunc morientia lumina cerno!
Quæ mihi vis morbi te, mea vita, rapit!
Vix hominum consors, almæ vix conscia lucis
Debes ergo tuum claudere, nata, diem?
Nec quidquam auxilii tot gentis vota tulere,
Primoresve anni, Pæoniæve manus?
Nil mea sedulitas? Nil profuit Insuber Alcon,
Ille Machaonia clarus in arte senex?
Non equidem credam; sed qua spe fallor inani?
Atra genis hæret mortis imago tuis.

Infelix! memini, quum dulce labella micabant;
  Ludebasque meo, gratum onus, in gremio;
Prensabasque patris dextram, colloque sororum
  Gaudebas teneras implicuisse manus.
Certa pedes nivei vestigia figere; & ora
  Assuerant superos voce vocare Deos.
Te sæpe... Ah utinam nulla unquam pignora nossem,
  Æternum o lacrimis nata gemenda meis.
Desine plura queri; quid fletibus ora refundis,
  Lamentisque Deos, fœmina, sollicitas?
Illa nequit (sic Dî statuere) diutius esse
  Jam tua; jam sanctam læta agit illâ animam.
Prætereunte tener sic flos succisus aratro;
  Sic rosa brumali languet adusta gelu.
Nunc te involve tua virtute, Deoque resignans
  Quæ dedit, ipsa tuis utere consiliis:
Consiliis hercle egregiis, quibus optima mater
  Progeniem gaudes instituisse tuam.
Nil proprium in terris: varia vice ducitur orbis;
  Et fugiunt celeri gaudia cuncta pede.
Ipsa rigent nivibus, quæ floribus arva nitebant,
  Et placidum ventis statque, furitque mare.
Mente agita, quæ, Laura, manes, quæque ante fuisti,
  Perpetuis Superûm splendida muneribus.

Si-

Siquis maternis Deus e complexibus illam
Præreptam summi nunc locat arce poli,
Nonne intacta tibi, inque diem magis aucta reliquit
Multa, ut des curas ferre per alta Notis?
Prolem oculis percurre: ut te natalibus oris
Dilectam ante alias reddit, & Ausoniæ!
Eugeniam forma præstantem cerne: venustas
Quanta habitu! toto quantus in ore decor!
Labra rosas referunt, aurum coma, sidera ocelli;
Purpureas vincunt candida colla nives. (a)
Aptos illa quidem sancti custodibus ignis (b)
Mores, sed nulla rusticitate, colit.
Quidquid agit, quidquid loquitur, componere passim
Certant & Pallas, & Venus, & Charites. (c)
Par venit Eugeniæ tua Lelia: respice vultus,
Regnat ubi placidus cum gravitate pudor.
Jam

(a) *Brachia purpurea candidiora nive.*
Albin. In Eleg. in obitum Mæcenatis.

(b) *Viginibus, quæ perpetuum Vestæ ignem custodiebant.*

(c) *Spectavit auctor illud Tibulli*, El. II. L. IV.
Illam, quidquid agit, quoquo vestigia flectit,
Componit furtim, subsequiturque decor.

Jam nitor eloquii, jam mentis amabile pondus
  Devincit tacitos sollicitatque procos:
Frustra; siquid enim castos amat illa poetas,
  Flectitur haud ullis dura cupidinibus.
Huic domus & res: huic doctam coluisse Minervam
  Cordi est, & nunquam non placuisse tibi.
Quis vero Idaliis nutritum collibus, aut quis
  Annibalem genitum non putet esse Dea?
Exprimit ille suos vultuque animisque parentes;
  Mirifice & formæ congruit ingenium.
Huic dedit illustres inter florere sodales
  Virgineus Charitum, Pieridumque chorus.
Tempus erit, quum magna ausus, quum docta locutus,
  Evehet egregium gentis ad astra decus.
Deferet huic ultro fasces; & honoribus ipsum
  Grata urbs certabit tollere tergeminis.
Natorum aspicies connubia læta, tuisque
  Exortam natis crescere progeniem.
Tunc, quæ te longos servarint numina in annos,
  Laudabis, fatis fœmina digna tuis;
Rectius & Divûm soboli, quam Tantalis audax,
  Ipsa tuum poteris composuisse genus.
Infelix mater! Numerosa prole superba
  Haud verita est magnos lædere voce Deos.

O La-

O Latona, ait, amplexu dignata Tonantis,
Quot reddis socii pignora cara tori? (mem;
Vix duo: progeneras Phœbumque, Deamque trifor-
Deinde effœtus hebet tempus in omne sinus.
Aspice: tot fudi fœtus Amphionis uxor;
Quid facerem summi semine læta Jovis?
Cur tibi festa parent Thæbæ, & tua numina adorent?
Non sum major ego dissimulanda Dea.
Hæc Niobe: ast humeris nunquam positurus Apollo
Arcum, tanta celer vindicat opprobria.
Astitit aeria jaculatus nube sagittas,
Et, dum gaudet equis mascula progenies,
Vulneribus passim confossam in pulvere sternens,
Sustulit invisam, quanta erat illa, domum.
Quid Niobe? Qui cernenti tunc talia sensus?
Heu flet; mox rupes arida facta riget.

II.

PRÆFECTUS URBANUS

Morbo laborans,

ASSESSOREM, ET CANCELLARIUM

Ita alloquitur.

EGREGII virtute viri, quos dexter amavit
  Juppiter, imperii gloria magna mei,
Quas vobis memori persolvam pectore grates?
  Aut quibus extollam vos super astra modis?
Si placui populo, recte si munera obivi,
  Si fovi pœnis, & pietate fidem,
Si placida, dum fata darent, gens pace quievit,
  Dixitque Unanimum (*a*) carmina læta chorus,
Tanto Assessori debentur plura, tibique,
  Cui secreta dedit limina habere Themis.
Est

(*a*) *Vetus Unanimum Academia, Salodii posita.*

Eſt vobis rerum prudens, eſt fraudis avaræ
  Plane expers animus, conſiliiſque potens.
Dives opis veſtræ, ſtudiiſque adjutus honeſtis,
  Præſidium Muſis, Juſtitiæque fui.
Propterea vigui ſupra aurea ſceptra beatus,
  Gaudens tum placidos gentibus ire dies,
Tum recti ſtudium, & cultas regnare Minervæ
  Artes, & ſanctæ fœdera amicitiæ.
Hæc mea cura: mihi haud potior ſit Lydia gaza,
  Partaque Oetæis gloria Thermopylis.
Sic canit, & diti paſtor non invidet aulæ,
  Si parcant tenero furque, lupuſque gregi.
Sic laribus dulci advigilat devinctus amore,
  Dum florere videt pignora caſta pater.
Aſt eadem veſtrum pertentant gaudia pectus,
  Credo equidem: merito mens ſibi recta placet.
Vos pro re Veneta, pro relligione tuenda,
  Pro decore imperii mutuus ardor habet.
Fortunatæ urbes, dominis patribuſque togatis
  Si tanti aſſideant tempus in omne viri!
Volvi iterum aſpiciant Saturnia ſecula, & omne
  Finibus Auſoniis exſiluiſſe nefas.
Sæpe quidem Dux commiſſas tractavit habenas
  Integer; at tenebris obruta fama jacet.

Quippe auro Aſtrææ mutans ſacra jura miniſter,
  Aſperſit labem perfidus imperio.
Legibus ut ſit honos, multi has tutentur oportet,
  Regnumque alternis floret ab auxiliis.
Scilicet & navi ſunt remi, vela, rudentes;
  Nec clavo tantum per mare ducta volat.
Hei mihi, compoſitum extremo ſub fine laborum,
  Quis me corripuit morbus, agitque ſenem!
Viſa Jovi hæc viridis nimium ac jucunda ſenecta,
  Cedere ſi regno me ſinat incolumem.
Pergite vos autem veſtris bene ſortibus uti,
  Et merita ad patrios præmia ferte lares.
Ante alios plauſus vos matrum vota gementum
  Excipite: eſt omnis muneris inſtar amor.
„ Vivite felices, memores & vivite noſtri,
  „ Sive erimus, ſeu nos fata fuiſſe velint.

III.

III.

FRIDERICO FEDERICIO

SALODIENSI.

QUAE tenet urbs Patavi: ſtudiis vigilare ſeveris
  Me dulcis genitor, ſorſque, Deuſque jubent.
Sed me Parnaſſi ſacra per deſerta beatus
  Ardor agit: nimium candida Muſa placet.
Nympha placet, jaculis figat ſeu terga ferarum,
  Seu choreas ducat, ſeu lavet amne pedes.
Acriſio me nata movet, turri abdita ahena,
  Quam ludit verſus Juppiter in pretium;
Quæque orbi ſecto nomen dedit, auſa doloſo
  Ah ſimplex, tauro credere molle latus.
Felices nimium vates, ſi priſca rediret
  Ætas, & Ducibus carmina grata forent.
Incolerem longos Pindi juga celſa per annos,
  Triſtibus atque avidis haud juga nota viris;
Communemque Deum canerem nunc bella cientem,
  Nunc gremio infuſum, ſancta Erycina, tuo;
Vel

Vel cælo infererem victorem; aut moribus apta
  Carmina gauderem fumere de medio;
Ludentefve inter Satyros, Dryadafque puellas
  Ederet agreftes tibia noftra modos.
Ut fonipes præftans genere ac juvenilibus annis,
  Martia fi fonitum tela dedere, fremit;
Tum colla attollit, tremit artus, & micat aures
  Igneus, indignans otia, frena, locum;
Sic ego, fi deducta mihi quis carmina dicat,
  Toto fufpiro pectore Pægafidas;
Nec mentem dia placet exercere Mathefi,
  Nec facra Cujacii volvere fcripta patris.
At modo non Cæfar, non Tufcis regibus ortus
  Vivit eques veftrum, carmina, præfidium.
Rex donis ornat, qui regia jura tuentur,
  Et quidquid doceant, utilitate probant.
Sævit amor nummi non mitior igne; nec illum
  Enfis, nec rapidi continet ira Noti.
O hominum mens cæca! O pectora avara! Locuples
  Dicitur effe probus, flagitiofus inops.
Ampla querelarum fuperat feges. Ipfe malignis
  Cedam temporibus, fed ratione duce.
Quid poffim, video, nec grandia mente revolvo.
  Deficit in vafto cymba minuta mari.

Juffa

Juſſa ſequar patris: viridi mea tempora lauro,
  Si Dîs ſic placitum eſt, cinget amica Themis.
Me quandoque forum, me civica bella tenebunt;
  Sed parta nunquam gaza opulentus ero.
Non ferar ingentes pagos & compita circum
  Effuſis, turba conſpiciente, rotis.
Non Venetos rerum dominos, gentemque togatam,
  Inſigneſve colam nobilitate domos.
Men' atra cura procul, ingentique tumultu,
  Quo nunquam aut ædes, aut fora in urbe vacant,
Umbras camporum ſubeuntem & florea Tempe,
  Non e muſcoſo deſiliens lapide
Exhilaret fons, non ludens per prata juvencus,
  Cornuaque intorquens, vir gregis, ipſe caper,
Semifer & Pan, qui vel mutatam, aſpera Syrinx,
  Te jubet argutos reddere voce ſonos?
Heu quid vobiſcum eſt animis, ac mentibus æquis,
  Gentis honos, auri pondera, picta domus?
Commodat incertos homini ſors improba honores,
  Propoſiti nunquam, juſtitiæque tenax.
Ni metam, atque modum rebus ſtatuamus amicis,
  Frangimur adverſis, ſubſequiturque ſcelus.
Vidi ego, cui largæ complerant horrea meſſes,
  Far ſemeſum avidis morſibus appetere;

Quæ-

Quæque ipſi quondam parebant, nocte ſub alta,
Ah miſerum, trepidos ferre per arva pedes.
Ditior eſt Crœſo, Diviſque ſimillimus ipſis,
Quem retinet virtus, quem ratio una movet.
Tu, Friderice, mihi ter felix terque beatus
Semper eris, virtus quem ſuper aſtra vehit.
Ante diem curaſque geris, ſenſuſque ſeniles,
Et Pylium vincis Neſtora conſilio.
Intendis cauſas agere, & componere leges,
Pectore nec tacitas inſtruis inſidias.
Elata nec fronte tumes popularibus auris
Fretus, nec vanas quæris avarus opes.
Si jucunda forum conceſſerit otia, Pindum
Continuo inviſis, Theſpiadumque choros;
Et Tuſca gaudens cithara, fidibuſque canoris,
Nectis Pieriis aurea verba modis.
Tu, ſeu patroni affectem, ſeu vatis honores,
Me potes exemplis rite docere tuis.

IV.

IV.

In præclarissimum adolescentem, laurea in utroque jure ornatum, cujus stemma arbos est.

SALVE, arbos felix, venientibus utilis annis,
  Salve, arbos magni numine tuta Jovis.
Jam satis Euganeos viguisti læta per agros:
  Medoaci Nymphæ te coluere satis.
Nominibus donata novis, succoque virenti
  Fœcunda, in patrio es rursus alenda solo.
Te Benacus alet per amœni littoris oram;
  Te Saloe gremio mater amata suo.
Hic tibi, ab aeriis absorpti nubibus ignes,
  Miscebunt toto murmura vana polo;
Frustra certabit Scythicis Aquilonibus Eurus,
  Vel ruet in Boream vis rabiesque Noti;
Semper enim trunco immota & radicibus altis
  Hærebis, medio ceu scopulus pelago.
Ut Pinus corylos inter, tenuesque myricas,
  Insigne extolles semper ad astra caput.
E summi capite orta Jovis, Tritonia virgo
  Impediet foliis tempora casta tuis;

Præ-

Prætendetque manu dulces, tua munera, fructus,
  Vatum delicias, Socraticæque domus.
Te circum niveis plaudet pax concolor alis,
  Et vacua stabit fronte serenus Amor.
Ipse suos hasta (nam Psychen ardet) amores,
  Ipse sua inscribet cortice bella tuo.
Pro glauca myrto, pro molli flore rosarum
  Unam te cupiet, te colet alma Venus.
Sæpe tua in numerum, Saloe applaudente, sub umbra
  Ludet Hamadryadum, Nereidumque manus.
Prisca tibi platanus concedet, maxima cura
  Xersis, quæ ramis gemmea serta tulit.
Cedet virga nitens auro, quam sanguine Divûm
  Tros satus, Euboico repperit in nemore;
Nec sese ulla tibi ditissima præferet arbos,
  Quæ dedit Hesperiis aurea mala Diis.
Sed quanta hinc veniant Saloes florentibus arvis,
  Benacoque patri gaudia! Quantus honos!
Non Arni, non Eridani, non Tibridis oris
  Invideant, vel agris, Attica terra, tuis.

V.

V.

In obitum doctissimæ fœminæ, apud Arcades

NISÆÆ.

Concessit fatis, & acerbo funere mersa est
  Nisæa, Aonii cura decusque chori?
Atropos immitis, tantæ quid stamina vitæ
  Ausa es crudeli dissecuisse manu?
Quis furor ante diem, aut te livor adegit iniquus
  Tam carum nobis tollere, sæva, caput?
Vix equidem credam, quoniam sacrum omne profanas,
  Te posse ætheriis parcere numinibus.
Confectum est scelus: os illud mirantibus olim
  Vatibus auditum, Cenomanûmque Diis;
Os illud, sæpe Æschileo memoranda cothurno
  Quod verba in medium protulit, ecce tacet.
Os tacet, & torpent æterno lumina somno
  Clausa, & solvit iners corpora humanda gelu.
Feralem mœsti ad tumulum, pia turba, poetæ
  Fletibus uda suis florea serta gerunt.

An-

Anxia, & indignos Elegeia fusa capillos,
Nequicquam increpitans impia fata, dolet.
Multa movens animo Pietas, complexa feretrum,
Ingemit, & terris lumina fixa tenet.
Quid querimur tamen? Anne levis te dissipat aura,
Nisæa, & misero funere tota peris?
Pars melior summi in penetrale immissa Tonantis,
Debita supremæ gaudia lucis habet.
Fas plausu, Nisæa, tuos efferre triumphos;
Fas vectam in superas te celebrare domos.
Hic immixta Diis, Libitinæ jura severæ
Despicis, & gemitus, spesque leves hominum.
Circum audis sonitus sese volventis Olympi;
Signaque per certas aspicis ire vias.
Ensifer Orion illic; hic Mænalis Arctos;
Hic Bereniceo e vertice tonsa coma est.
Hic sol quadrigas agit; hic argentea bigas
Phœbe; illic Hyades, Pleiadesve micant.
Ardua terrarum procul, imaque rura, suisque
Littoribus ponti marmora cincta jacent.
Quod si te sedes aliæ, si umbrosa vireta
Sanctorum nemorum, atque arva beata tenent;
Istic assiduum placido ver ore renidet;
Et dulci semper flore juventa viret;

Æter-

Æterni ſpirant Zephyri, ſummoque receſſu
  Vivus perpetuo labitur amne liquor.
Fortunata inter diſcumbitur agmina vatum,
  Diviniſque ſonant carmina digna toris;
Et paſſim lætis datur invigilare choreis,
  Caſtumque inſigni nectere fronde caput.
Ne tamen has lacrimas ſancta indigneris ab æde,
  Quas tua cum gemitu pallida buſta cient.
Quis mala, quiſve avidi vires ſic contudit Orci,
  Altius ut fatis exſerat ingenium?
Quis patriis ignem domibus, campiſque furentem,
  Aut ſicco ereptas lumine ſpectet opes?
Num te, ſi ſcopulis alliſa, & vortice merſa
  Sit ratis, impavidum, nauta, procella ferit?
An ſi intempeſtus toto ruat æthere nimbus,
  Grandine & icta gemant arva, colone, ſiles?
Obruimur cæca mortalia pectora nocte,
  Genſque rudis, nobis nec ſatis æqua ſumus.
Quæ ſenſus feriant noſtros, & dulce laceſſant,
  Quærimus, indocti mentibus alta ſequi.
Quare noſtra volant celeres lamenta per auras,
  Te amiſſa, & late ripa, nemuſque fremunt.
Non aliter cara viduatus compare, ab ulmo
  Quam leve paſtoris ſtravit humi jaculum,

Longum flet turtur: teneri non graminis herba
  Illum, non liquidi fluminis unda juvat.
Hæret pectoribus nullum delenda per ævum
  Oris, & ingenii dulcis imago tui.
Tu nos gaudebas virides deducere in hortos,
  Læta Stagiræi quos obit umbra patris.
Dicebas, Aufter crebro cur gaudeat imbre,
  Cur gelidam Boreas fpargat ab axe nivem;
Utque tonans altis fe nubibus explicet ignis,
  Et tremat, ipfa ignis vi quatiente, folum;
Et rerum caufas, indefeffæque canebas
  Naturæ mores, oceanique vices.
„ Lesboas Tufco percurrens pectine chordas,
  Mulcebas teneris pectora noftra modis;
Teque canente, facro plauferunt monte Camœnæ,
  Naiadefque imo profiluere lacu;
Et duxere choros nexis per mutua palmis
  Saltantes Dryades, capripedefque Dii.
Te quoque Pythagoras meditari arcana, fenexque
  Edocuit tacita mente Syracufius.
Aufpice te, virtus ftudio certaminis arfit,
  Doctaque fub rapidis fervit arena rotis.
Avia quifque alacer tendebat fcandere faxa,
  Qua fluit irriguo Caftalis unda pede;

Lu-

Lustrabatque lubens Tempe, saltusque sonantes
Divûm carminibus, carminibusque tuis.
Quam subito heu tecum decora & solatia nostra
Mors uno potuit diripuisse die!
Ut sine aquis fontes, Lunæ sine imagine noctes,
Et sine sole dies, & sine fronde nemus,
Te sine sic late squalet Saturnia tellus,
Alpinisque ululant numina verticibus.
Quid faciat? Tristis regionibus errat Apollo,
Nec tota sedem repperit Ausonia.
Quid juvat in terras insigni fraude, Promethee,
Ignem e purpureo te retulisse polo?
Ignem, quo veterum caluerunt pectora vatum,
Otia paulatim desidiosa necant.
Argolicæ intereunt artes; & Pindarus ardens,
Divinæque jacet conditor Iliados.
Ille procax mimos celebrat lasciva jocantes;
Hic canit Idaliæ furta nefanda Deæ.
Dant vacuos alii versus, jactantque canoras
Nugas; aut atro nomina dente petunt.
Indomitum sævit vulgus, morumque magistra,
Victrixque irarum dia Poesis abit.
Labitur interea, quæ floruit utilis ætas.
O hominum præceps in sua damna genus!

VI.

In carmina ejusdem.

CArmina in apricum dum se proferre parabant,
Quæ lusit facili docta Faina lyra,
Ecce caput pallente olea, citroque revinctum
Summo Benacus gurgite tollit ovans.
Vestra, ait, haud periit Nisæa; applaudite mecum,
Najades Ausoniæ, Cenomanûmque Dii.
Illa suo vestras etiamnum carmine ripas
Mulcet, & æternum vincere fata docet.

VII.

In effigiem ejusdem.

MUsas voce, oculis Charites, ac mente Minervam
Exprimis, una tribus digna Faina choris.

VIII.

VIII.

AD HYELLAM;

Dente laborantem.

O Penitus formosa, tuæque simillima matri,
  Altera Benaci haud dissimulanda Dea;
Quid, mea Hyella, tuis lacrimæ eluctantur ocellis?
  Quid strophio mœrens ora venusta tegis?
Novi: alios inter pulchros candore nivali,
  Firmosque, ille niger dens tremit, ille dolet.
Macte animo, avellas: præsto est medicina; nec ullus
  Posthac torquebit te, mea vita, dolor.
Quin mox candidulus surget dens alter; & ori
  Ad formam haud deerit particula ulla tuo.

IX.

DE CAMPIONE,

Ora Benacensi.

ORA est Benaci, quæ magni culmina Baldi
  Prospicit, & triplex continet imperium.
Si nudas circum silices, abruptaque saxa,
  Unde sonans rapido labitur amne liquor,
Fabrilesque domos, & caligantia tecta
  Cernas, Vulcani dixeris esse specus.
At si constructas opibus regalibus ædes,
  Aurum, & crystalli lux ubi multa nitet,
Et virides, citrisque aptos & floribus, hortos
  Aspicias, sedem dixeris esse Jovis.
Ignoras tamen, an saxis & rupibus horror,
  Anne loco veniat majus ab arte decus.

X.

AD ADOLESCENTEM

Laurea in utroque jure ornatum.

SOL rapidos quater egit equos per ſidera Tauri,
Dum Patavi dulci perfruor hoſpitio.
Poſt ferme innumeros, docto quos pulvere Pallas
Exercet cupidos fronde virente tegi,
Dignum vidi hominem Phœbæa denique lauro.
Tanta vi magnum naſcitur ingenium.

XI.

In anum verſipellem.

QUI ſeſe facies Protheus vertebat in omnes,
Nunc fera, nunc ignis, nunc vagus amnis erat.
Sic quæ divina dicta eſt ſub veſte latere
Fœmina, multiplices induit effigies.

Vixit cara viris olim florente juventa,
  Et Venerem didicit mille ciere modis.
Saga fuit: mox mimorum ſubnixa cathedris;
  Ficta nunc homines relligione capit.
Credula anus, miſera Venetos qua fraude laceſſis?
  Lena eſto: hoc reſtat denique ſubſidium.

XII.

DE

ANDREA GANAZZONIO

Archiepiſcopo Corcyrenſi.

PErgama conciderant, variiſque erroribus actus
  Rex Ithacæ Ionio vela dabat pelago;
Cum portus, Corcyra, tuos intravit; & illum
  Plauſibus excepit læta manus juvenum.
Nunc ad te veniet nulli virtute ſecundus
  Andreas, crines cui ſacra vitta tegit.
Ni ſpernis præ Grajo Italum, præ Marte Minervam,
  Hic tibi erit cunctis ſanctior hoſpitibus.

XIII.

XIII.

De Præfecto provinciali.

QUI dulci imperio, & ſancto moderamine legum
Nos regis, o Venetûm gloria, amorque patrum;
Atque inter populum conſtanti fœdere junctum
Juſtitiam, atque artes, Aonidaſque foves,
Accipe, læta tibi recinunt quæ carmina vates,
Neve indigneris, quod leve munus habes.
Eſt omni pro laude ſatis tua maxima virtus,
Credo equidem, & laudes dicere nemo poteſt,
Aut tantum ille poteſt, dederit cui magna ſonare
Facundæ inventor flavus Apollo lyræ.
Vatum at ſi ſpectes animum, ſtudiumque, fidemque,
Omnibus hæc præſtant munera muneribus.

XIV.

XIV.

DE TINTINNABULIS A RUFINIO,

Egregio artifice, conflatis.

ÆRA ſumus: patrias nomen *campana* per oras;
  Et raucos ſonitus ære repulſa damus.
Nos ignis, nos tempeſtas, non furta verentur;
  Cimus & abſentes ad ſacra templa viros.
Si pendis, ſi metiris, ſi ſingula tundis,
  Pondere differimus ſingula, mole, ſono.
At ſi ſeptem una crebris tinnitibus auras
  Pulſamus, gratos accipis aure modos.
Nos mira egregius fudit Rufinius arte,
  Æra quidem, at tanti nomine clara patris.

XV.

Inscriptum in Templi foribus.

AUgustæ Triadi fanum, Mariæque dicamus:
Deferat hæc nostras, audiat illa preces.

XVI.

Ad manes nobilis cujusdam viri,

Quum capite plectenda essent ejus soror, quæ ipsum occiderat.

DUM tua, Cenomanûmque jam stetit urbe, vetusta
Lapsura est fulgens nobilitate domus,
Hoc deerat tibi, vel post fata miserrime Frater,
Talem ut nunc esset mortem obitura soror.
Abstulit heu nobis hujus te dextera; at ipse
Pro pietate tua, ac gentis honore tuæ,
Credo equidem, si qua est post lethum cura, sororis
Altius ingemeres, quam tua fata, necem.

XVII.

XVII.

De pace.

UMbris Elyſiis, & ſummi vertice Olympi
Dî ſacra perpetuæ fœdera pacis amant.
Pax colit & terras; ſed belli cæca Prometheus
Pectoribus hominum ſemina ſuppoſuit,
Quæ ſimul erumpunt, cuſtos prudentia pacis
Cedit, vis ſanctæ cedit amicitiæ.
Felices, ſtabili quos Juppiter æquat amore!
Ipſam homines poſſunt vitam agitare Deûm.

XVIII.

De ſacro Paſtore.

QUI tibi dux fuit ad fontes & paſcua dia,
Septiſque excubuit nocte dieque tuis,
Sollicitus, ne te lethali infecta veneno
Gramina, neve lupus falleret inſidiis,

Egre-

Egregius paſtor, nulli pietate ſecundus,
Poſtquam ſupremum mortis adivit iter,
Jam ſatis a te habuit lacrimarum: parce querelis
Littora Benaci, & celſa replere juga.
Macte, age: qui paſtor tibi, grex, conceditur alter,
Jam deſiderium leniet iſte tuum.
Hic bonus, hic recti cuſtos, hic acer in hoſtem;
Amiſſumque animis, moribus, ore refert.

XIX.

In querelas caci cujuſdam poetæ.

REGIA pompa nitet, medias ſpectanda per undas;
Arduaque inſolita luce theatra micant.
Nocte Forum præbet ſpectacula digna Tonante.
Jure omnes plaudunt, jure poeta gemit.

XX.

De ſummo quodam viro.

TU Lojolæam potuiſti evertere turrim;
Sed te mole ſua, dum ruit illa, premit.

XXI.

IN NUPTIAS
ALOYSII PISANI
ET
JUSTINIANÆ PISANÆ.

NUBIT Piſano auſpiciis Piſana ſecundis:
Neutrum aliter jungi faſque decuſque tulit.

XXII.

XXII.

AD

VINCENTIUM DANDULUM.

Tergeminam ducit ſapiens vir, Dandule, vitam.
Ille ſibi, ille homini vivit, & ille Deo.

XXIII.

MARCO CAPELLO

BRIXIENSI.

Durum eſt infirmo ſtratis recubare lacerto,
Dum furit æſtivo Sirius igne canis.
At dum conveniunt cari te ſemper amici,
Flentque, tuoque omnes, Marce, dolore dolent,
Dumque tuas illi laudes, tu carmina dicis,
Non doleo ipſe tibi, Marce, ſed invideo.

XXIV.

XXIV.

Eidem.

NOS quoque amant Superi: Phœbus te luce serena
Juvit adhuc, valido membra calore fovens.
Sed quoniam nunc, Marce, paras nos linquere, nobis
Præsto est, & pluvio Juppiter axe tonat.

XXV.

Eidem.

QUid cecini? En nubes se purgat in aera apertum,
Et redit inducto candida sole dies.
Marce, vale; & nimbos qui præsens æthere abegit,
Te patriæ reddat Juppiter incolumem.
At qui te flerunt, qui te mirantur, eorum
Fac tibi sit memori condita corde fides.

XXVI.

XXVI.

De Amica.

EBrioli illi oculi, mea dulcis Theſtyli, & illa
Alba verecundis lilia mixta roſis,
Quæ blando ore refers, prorſus mihi ſurpuerant me
Et mea replerant corda cupidinibus.
Quid facerem? Acceſſi ad te, vita, tuiſque pependi
Attonitus toto veſpere ab alloquiis.
Ingenii mihi tum patuit vis mira; tuique
Seſe virtutes explicuere animi.
Qui prius ardebam ſolius imagine vultus
Captus, nunc quanto torquear igne, vide.

XXVII.

De eadem.

ET me amat, & tacito me Theſtylis excipit horto
In noctem: trepidum me, Venus alma, rege.

XXVIII.

De Neæra.

VIrgo Neæra domi, virgo eſt quoque principis u-
Uxor Damonis facta, repente Lupa eſt. (xor.

XXIX.

De eadem.

MÆ divitem benignitas fecit mea:
Suis Neæra poſtibus
Inſcripſit. Utilem, puellæ, diſcite
Benignitatem perſequi.

XXX.

In quoddam ſpectaculum.

QUę, Michael, conducto infers ſpectanda theatro?
Quæ ſtridet miſeris vox ſociata modis?
Antigone hæc eſt? Ille ſacro Hæmon fœdere junctus?
Impius iſte Creon corpora in exanima?

Mi-

Miror: nam dum flent illi, dumque iste minatur,
Gens late risus, sibilaque ingeminat.

XXXI.

Ad Jovem de fœminis.

JUppiter, aut forma, aut excellat fœmina tantum
Ingenio: alterutrum corda sat excruciat.
Utrumque huic donans, non gaudia nostra videris
Progeniemve hominum velle, sed excidia.

XXXII.

De egregio oratore.

ARgenti orta siti male sana calumnia, culpis
Ausa est ingenuum dedecorare caput.
Stant simul ira aliena, & vis, & gratia in ipsum:
Frustra; cuncta potens dissipat eloquium.

XXXIII.

Fœminæ verba

In Poetas.

DO fabro, do tonsori, do pharmacopolæ,
Lictorumque placent, lignipedumque tori.
Interdum pathicis etiam me dedo poetis,
Quorum me multum lingua petulca movet.

XXXIV.

De Matre Spartana;

EX GRÆCO POLITIANI.

PUgnaturo aptans nato generosa Lacæna
Scutum, cum hoc, inquit, nate redi, vel in hoc. (a)

XXXV.

(a) *Idem aliis verbis; alioque metro retulit Ausonius* Epigr. 24.
A quo illud suum fortasse duxit Politianus;

XXXV.

In Phœbum;

EX GRÆCO HOMERI.

Certe, Pœbe, canit te cycnus dulce ſub alis,
In ripam inſiliens, reſonantem vortice ad amnem
Peneum; arguta & fretus teſtudine cantor
Suaviloquus primum, poſtremumque uſque canit te.
Sic autem, Rex, ſalve: oro te carmine ſupplex.

XXXVI.

In Venerem armatam.

EX GRÆCO POLITIANI.

Quid læva clipeum tollis, dextra & quatis haſtam,
Pectora lorica, & caſſide tecta caput?
Non tibi, dulcis & alma Venus, ſunt munera belli
Jam delata: præes mollibus ipſa toris.
Non equidem ad pugnam, ſed Martia tela capeſſo,
Pugnæ ut Mars curam deleat ex animo.

Sic etenim in me una Venerem Deus, armaque nactus,
Nunquam erit, a thalamo ut secumbet ille meo.

XXXVII.

Idem strictius.

INduit arma Venus: sic nunquam Marte carebit;
Nil etenim hic, Venerem præter, & arma, cupit.

XXXVIII.

In senem.

EX GRÆCO ANTIQUO.

LÆdis utrumque, atrum Ditem, Phœbumque nitentem:
Illum quod fugias, hunc quod adhuc videas. (a)

(a) *Idem epigramma latine redditum exhibet Jacobus Stellini in suorum opusc. vol.* 1. *p.* 263.

XXXIX.

XXXIX.

In senem

Jam lumine captum.

EX GRÆCO POLITIANI,

Ad antiquum illud alludentis.

NEutrum lædo: etenim nec pars extincta tueri
Phœbum, nec Ditem viva movere poteſt.

XL.

De rerum univerſitate.

EX ETRUSCO.

DI ſpectatores; tellus ducenda theatrum;
Inductus ſcenis hiſtrio, quiſquis homo eſt.

XLI.

De Turno.

EX ETRUSCO.

NE mea fata domant, non Tros: hęc ſi ęqua fuiſ-
ſent,
Nunquam ceſſiſſet Daunia dextra Phrygi.

XLII.

De Xerſe.

EX ETRUSCO.

UT ſeſe æquaret Dîs, lati ſtagna profundi
Rex trajecit equis, navibus alta juga.

XLIII.

XLIII.

In invidiam.

NEquicquam mihi, sæva, studes aspergere labem,
Invidia: e labiis vana venena fluunt.
Ceu ferro sacras Eresichthon lædere silvas
Ausus, te laceras dente cruenta tuo.
Ardua me conantem ultro, & præclara volentem
Aspice, cui Phœbus munera multa dedit.
Ridere assuevi miseros, quos crebra repulsa,
Incumbensve odiis torqueat ambitio.
Ut fremitus audire tuos placet, improba! Non sic
Laude quidem lætor, non pietate virûm.

XLIV.

In Faustum.

ATro quis te dente petat nil tale merentem?
Es, mi Fauste, bonus, terque quaterque bonus.
Nam quid agis? Sola hæc nimis a te, pupule, amantur:
Alea, mensa, puer, fœmina, strata, merum.

XLV.

XLV.

In eundem.

ES miles bonus, & nulli, mi Faufte, fecundus:
Vina mera epotas femper, & exululas.

XLVI.

In eundem.

BEllus es atque ornat te, Faufte, thalaffina veftis;
Aft unum hoc doleo, deeffe tibi auriculas.

XLVII.

Ad Corydonem.

QUid mirum, Corydon, dum tot te Juppiter ornat
Muneribus, Lygdæ me placuiffe magis?
De te multa foles Lygdæ tu dicere: multa
Olli de Lygda dicere ego foleo.

XLVIII.

XLVIII.

Ad Amicum.

Scilicet & tibi triſtitiam fero, care ſodalis,
  Et vitæ abduco te ratione tua.
Nam, ſimul Heſperio merſit ſol æquore currum,
  Et prima egelidæ tempora noctis eunt,
In Veneta, cui vix componitur altera in orbe,
  Late æquis ſtrata marmoribus platea,
Tu cum dilecto jamdudum incedere amico
  Aſſueſti, & Zephyris, alloquioque frui,
Et turbam ſpectare virûm, quæ juncta puellis
  Itque reditque, agris ceu ſeges acta Noto,
Et curas ridere leves, & carpere mores
  Prudens, dum te aliquis fors vocat illepidum:
Laudo; nec doleo, ſi me quandoque relinquas,
  Quem iacer, ah, tacita morbus in æde tenet.

XLIX.

De inclyto quondam viro,

A quo plurima auctor beneficia acceperat.

Pars genuit me, pars docuit, pars juvit amice:
Cunctorum officium tu, bone Marce, facis.

L.

De eodem.

Ingentes curas, & ſplendida vota relinque,
Et placidum, ſpreto gurgite, littus ama.
Te tua rura juvent: agros inviſe paternos,
Et cole, Marce, hortis otia grata tuis;
Aut campos luſtra, qua ſe explicat aurea meſſis,
Vel nivea immiſſo ſurgit ab amne ſeges.
Te ſequar; & gaudens viridi mea Muſa receſſu,
Complebit lætis aera carminibus.

Te

Te ſilvæ, te, Marce, lacus, te ſaxa ſonabunt,
Te fons alpeſtri deſiliens ſilice.
Aram component Fauni, Dryadeſque puellæ;
Teque ſuum agnoſcet ruſtica turba Deum.

LI.

Ad aves.

O Mihi dilectæ, o viridem concentibus oram
Mulcere aſſuetæ, cur tacuiſtis, aves?
Quas hiſce arbuſtis paſſim inſiluiſſe videbam,
Cur alta nemoris parte latere juvat?
Nonne datum eſt vobis hoc vitam vivere cælo,
Aucupii tutam ſemper ab inſidiis?
Non hic fons ſemper? Non hæc placuere liguſtra?
Sed veſtræ, ah, patuit jam mihi cauſſa fugæ.
Huc oræ dominus venit: vos terruit ille,
Incedens crocea fulgidus in chlamyde.

LII.

De quodam oratore.

TRuncum poſſe loqui miraris? Nonne dedere
Chaoniæ quondam divina oracula quercus?

LIII.

De alio.

MAgnus hic Orator: mirum eſt, qua prȩditus arte
Aſſurgat; ſed ſæpe altis levis enatat auris,
Eluditque oculorum aciem, ardoremque ſequentum:

LIV.

De alio.

HOC dicente, patrum maduerunt fletibus ora.
Quis, ni tranſiliat metam, præſtantior illo?
Diſcite, cauſidici; ſed vos trepidate, clientes:

LV.

De alio.

PRojicit ampullas, dum regia jura tuetur.

LVI.

De alio.

HIC est ore suo, ast aliena mente locutus.

LVII.

De alio.

QUid tanto exululat dignum vox ferrea hiatu?
Ah quoties nugas, & pingue sonantia verba
Jactavit! Fuit orator, sed vel semel, aut bis.

LVIII.

LVIII.

De alio.

HUnc scenis aptum, Venus aurea duxit in aulam;

LIX.

De alio.

JUdicium huic anceps; mala mens; oratio hiulca;

LX.

De alio.

AUdax orator nihil hic deferre recusat:
Igneus est animo vigor; at non certa manet mens.

LXI.

LXI.

De alio.

FRugibus hic nunquam paleas sejunxit inanes.

LXII.

De alio.

SUltitia alterius, plebisque hunc reddidit ardor
Insignem: belle narrat, distinguit acute;
Illius eloquio sed desit mascula virtus.

LXIII.

De alio.

INgenio tumet iste suo, rapidusque profundo
Ore ruit, qualis præerupto e vertice torrens.

LXIV.

De alio.

Hic, Protheo similis, formas se vertit in omnes,
Callidus, ingenio præstans, sermone disertus;
Sæpe tamen levis invitâ puer extitit arte.

LXV.

IN STATUAM EQUESTREM
LUDOVICO MAGNO
POSITAM

Lutetiæ Parisiorum in Foro Victoriarum.

Suspiciant alii toto spectacula in orbe.
Unus plura mihi tu, Lodoice, refers. (*a*)



(*a*) *Hoc fortasse nimis amplum, sequens autem distichon nimis acre videri potest. Animadvertendum tamen est, hic locutum esse Parisiensem hominem, ibi vero Vasconem.*

LXVI.

LXVI.

In eandem.

AEre suspensam Lodoici cerne coronam.
Incertum, an Genius deferat, an rapiat.

LXVII.

In inferias

BALTHASARIS GALUPPI.

QUæ quondam, in numerum passim spirantibus auris,
Læta tuos cecinit musica turba modos,
Nunc ad feralem tumulum, quem mæsta paravit,
Inferias celebrat, docte Galuppe, tuas.
Si tibi, dum sonitus astrorum, Balthasar, audis,
Non possunt veteres forte placere chori,
Te moveat saltem sociorum antiqua voluntas,
Quique alto gemitus pectore ducit amor.

LXVIII.

Ad Sponsam.

CEsserat auxilium, Musæ quod sæpe tulere,
  Cesserat alma salus, cesserat omne bonum;
Nec patriæ poteram, nec caris fidere amicis;
  Morbus & urebat me magis atque magis;
Ægraque languidulo fugiebat corpore vita;
  Quum numen dixit, vive diu, atque vale.
Tu σωτὴρ, mea sponsa, θεός; tibi pectore ponam
  Aram, qua mea mens, hostia læta, cadet.
Dumque cadet, veterum detersa labe malorum,
  Grato perpetuum sparget odore rogum.
Huic aderunt Charites: viridem feret altera ramum,
  Altera splendorem, tertia lætitiam.



MAT-

MATTHIÆ BUTTURINI

CARMINUM

LIBER TERTIUS.

I.

IN NUNPTIAS.

Hymnus ad Somnum.

NOX silet alta: polo lucent vaga sidera aperto;
Purpureoque tenet medii fastigia cæli
Phœbe invecta jugo; & ventis substrata serenis
Accipiunt tremulam Benaci cærula lucem.
Non strepitus, non vox campis sonat ulla ferarum,
Non avium: rores bibit herba; & multa silentes
Sub Jove tranquillo passim sedet umbra per agros.
Vicino tantum saxo gemit intus aquæ fons:
Nympham flere putes ima sub rupe latentem;
Et frondes tenui motat levis aura susurro.
Somne, quies rerum, curarum, Somne, levamen,
O quid agis? Præstat ventos æquare volando,

Cimmeriique ſpecus tacitos liquiſſe receſſus.
Siqua hominum; Jovis alme gener, te cura quietum
Sollicitare poteſt, propera, & quos flore roſarum
Ornatus genialis habet torus, aſpice Sponſos.
Aſpice: nam quis luminibus te, Somne, carere
Dixerit? Ipſe avidos in pulchræ conjugis ora
Intendis viſus, inhians; gremioque tepenti
Infuſus dominam laudas, & ſuavia poſcis;
Atque ita, credo equidem, lentæ colis otia vitæ,
Perpetuuſque alitur labefacto corpore languor.
Nunc mecum Sponſos, mitiſſime Somne, tuere.
Forma ambo inſignes, annis florentibus ambo,
Jucundaque ambo capti novitate, viciſſim
Optatum exercent hymenæum; eſt flamma medullas;
Oſculaque infigunt, cupidiſque amplexibus hærent.
Non aliter Paphiæ volucres, ubi mollibus auris
Laxat ver animos, & cælo ridet aperto,
Aeria de turre volant, plauſuque ſecundo
Circumeunt ſeſe: raucum ferit aera murmur;
Inque vicem attollunt niveum caput, uda rogantes
Oſcula: ſtant alæ; miſcentur mutua roſtra.
Nec ſatis hæc Sponſis: juvat indulgere labori
Aſſiduo; vehemens it plurimus oſſa per ima
Spiritus, & laſſi manant ſudore lacerti.

Re-

Remigio alarum, & Lethæi pondere fustis
Note Deus, frontem cui molle papaver obumbrat;
Non, qualem cecinit veterum plebs, Nocte, sed ipsa
Progenite Astræa, pacis rectique sequester;
O vitæ melior dux, qui genus omne animantum
Naturamque fovens, rerum cum Sole suprema
Dividis imperia; o Divûm placidissime Somne,
Quæso, veni: vates orat te carmine supplex,
Sollicitus, patriæ ne spem necet improbus ardor
Devictus pietate tua, pro viribus ille
Nigra tibi patriis altaria ponet in oris,
Quæ crebri tepido conspergent sanguine glires.
Ergo veni; & thalamum suspenso poplite furtim
Accede, aut levibus te tolle per aera pennis;
Dumque olli multa hærentes vi prœlia miscent,
Labere, & obrepens tacito per viscera flexu
Insinua, placidoque jecur perfunde sopore.
Fessos solve oculos, trepidisque allabere venis,
Concilians animos; indeprensusque pererra,
Somnia blanda ferens, pressaque silentia penna.
At tuus ambigua volitans sub imagine Morpheus,
O pater alme, veta, ne gaudia mollia fingat,
Et rapidis agitet languentia pectora formis.
Menti, si mavis, facies placidissima ruris

Occurrat, vitreique lacus, collesque supini,
Grex ubi balantum reptet, luctansve juvencus
Exsiliat; riguique fluant per gramina rivi.
Sponsus silvosum lustrare indagine Baldum,
Venator non infelix, prædaque potiri
Gaudeat; aut tenui meditetur carmen avena
Turba pastorum in media, videatque, magistro
Phœbo, plaudentes umbroso Helicone Camœnas.
Ducat sponsa leves, Nymphis immixta, choreas
Ad vada Benaci, aut Athesis labentis ad oras;
Purpureosve legat flores, nectatque coronas;
Perque fores animi passim ludantque, meentque,
Ac remeent tenues species, & inania visa.
Eja age, rumpe moras; his, te licet ultro repellant,
Adfer opem, mollique ignes restingue quiete,
Compositosque riga, suffectis viribus, artus.
Si cessas, teneros sternet Venus acris amantes;
Et quæ nunc Charites Sponsis hærere decoris
Certant, ah gemitus educent pectore ab alto
Divulsæ, implebuntque gravi memora avia questu;
Quin formosus Hymen, cui fervida vota juventæ,
Cui sacra jura tori, & vitalia semina cordi,
Flebit, amaracino spoliatus flore capillos;
Pineaque ante diem cinis ater tæda jacebit.

II.

II.

Mopsi pastoris laudes.

Littore Benaci, & Saloi vix dissita ab urbe,
Hesperium ad solem, patri dilecta Lyæo
Dulcia rura cubant; quorum vetus incola vates,
Nunc fidibus, nunc agresti lætatus avena,
Astantum arrectas tenuit Bonfadius aures
Faunorum ac Dryadum. Genii memor, aurea Musa
Oram servat adhuc. Tumuli de vertice pastor
Hic audit Clisis sonitum per saxa ruentis;
Et freta Benaci procul, atque albentia vela
Prospectat, nantesque rates tranquilla per alta.
Huc æstate nova pastum Melibœus agebat
Sæpe boves, calamoque pecus mulcebat, & agros.
Laudibus assiduis, meritoque colebat honore
Ille senem Mopsum gratus puer: ardua saxa,
Valles, quæque fugit mediis in vallibus unda,
Arvaque dilecti referebant nomina Mopsi.
Ille, cadente die, cæli e regione serena
Spirantes Zephyros, & amabile frigus in umbra
Ca-

Captabat; dulci quum talia voce canentem
Audivere ſuis Nymphæ Gazanides antris.
O ingens ruris decus, o Jovis unica cura,
Si nos, noſtraque amas, memorem paſtoris avenam,
Silveſtriſque rudes Muſæ ne deſpice cantus.
Carmina, Mopſe, doces nos dicere; carmina dicam,
Et te, Mopſe, canam: bonus adſis, quæſo, canenti.
Quis non te cretum Corydone, & Phyllide Nympha
Agnoſcat? Poſuit Corydon altaria Phœbo,
Quæ tot muneribus, tot cæſis imbuit agnis,
Paſtorum Corydon doctus componere longa
Jurgia, Paſtorum Corydon mitiſſimus unus.
Phyllis amor patriæ, Nympharum gloria Phyllis
Conciliare animos, & devincire merendo
Gaudebat, ſeu paſtor erat, ſeu ruſtica mater,
Seu virgo agricolæ, vel tardo nupta bubulco.
Talia longævus memoravit ſæpe Menalcas
Ad rivum, dum meſſis erat, dum frigus, ad ignem.
Carmina, Mopſe, doces nos dicere; carmina dicam.
Mille tuæ pecudes jucunda per arva Liani
Errant; nec Superis eſt te dilectior alter.
Plurimus exercet foſſor tua rura: quotannis
Fronde ſatur pretioſa tibi dat ſtamina bombyx;
Inque diem portant agreſtia munera Nymphæ,
Fru-

Frugum primitias, aut venatore marito
Extinctum leporem, vel olentes flore quasillos.
Carmina, Mopse, doces nos dicere; carmina dicam,
Et te, Mopse, canam: bonus adsis, quæso, canenti.
Tu pagi oraclum, tu lex, tu numinis instar.
Quam pauci norunt urbani judicis ora
Agricolæ! Sanctis ediscunt moribus uti,
Clamoresque fori Mopso vitare magistro.
Hinc matrum atque nurum rixæ, hinc odia aspera fratrum,
Atque in finitimos veteres abiere querelæ.
Candida pax nostris æternum regnat in arvis;
Et sæpe instaurant spectacula festa coloni.
Carmina, Mopse, doces nos dicere; carmina dicam.
Tu calamos inflas, citharam tu pectine pulsas;
Et fugiens passim stetit ad tua carmina rivus.
Dulce gregi nunc umbra, calor nunc dulce cicadis,
Dulce viatori nunc fons, tua carmina nobis.
Venit ab Elysio, patriis & vescitur auris
(Unus hic est sermo, vox hæc pastoribus una)
Qui quondam corylos, & fortunata canebat
Antra Coloniolæ: vestrum cognoscite vatem,
Gazani fruticeta, sacri nemora alta Liani.
Carmina, Mopse, doces nos dicere; carmina dicam,
Et te, Mopse, canam: bonus adsis, quæso, canenti.

Mi-

Mirati agricolæ vatem audivere docentem,
Ut vel juncorum, vel caricis uber acutæ
Promittat fontem tellus; ut aprica vireta
Pervolet, & pingui flores apis ingerat alveo,
Et suâ jura, suos agnoscat quæque labores;
Ut Cerasus lætam in prolem ab radicibus imis
Pullulet; & fructus meliores proferat arbos,
Quam plenus sol in campo fœcundat aperto.
Carmina, Mopse, dices nos dicere; carmina dicam.
Chloridis ipsa meo fugiebat pectore imago,
Dum mihi speluncas & amœnam Tiburis umbram
Laudabas, unde Ausonii venere coloni,
Et fuit illa potens armis, illa inclyta Roma,
Mansura incolumis (dixisti hæc pastor) in ævum,
Siquid virtutis patriæ Pharsalia rura
Forte reliquissent cum libertatis amore.
Carmina, Mopse, doces nos dicere; carmina dicam,
Et te, Mopse, canam: bonus adsis, quæso, canenti.
Tu me formasti studiis, quibus optimus olim
Florebat Corydon, nunc te florere videmus,
Et mox ille tuus surgens florebit Amynthas.
Auspice te, nuper templi in penetralibus altis,
Intonso patri quod gens antiqua sacravit,
(Mens memor ardet adhuc) insueto percitus œstro
Car-

Carmina compoſui; tum cinctus tempora lauro
Multorum accepi plauſus, atque oſcula matris.
Carmina, Mopſe, doces nos dicere; carmina dicam.
Eurimadam docuit Thyrſis; ſed vix tibi, Mopſe,
Auſim ego paſtorem componere Thyrſida, quamvis
Et pecudes curare, leves & dicere verſus,
Et labio argutas norit percurrere avenas.
Cedit quantum ignes Lunæ, Solique minores,
Cupreſſoque ſiler molle, exileſque myricæ.
Eurimada infelix! Nequicquam Pana vocaſti;
Ter repetita tui nequicquam verba magiſtri
In noctes alta tendebas figere mente.
Namque ſacerdotes divinæ ad limina ſedis
Pertentantem aditus, & carmina multa ferentem
Ter te rejiciunt, Phœbique receſſibus arcent.
Carmina, Mopſe, doces nos dicere; carmina dixi,
Et cecini te, Mopſe: ſat & voluiſſe canenti.
Finierat, ſed mente puer majora parabat
Dicere, neſcio quid Muſa meditatus agreſti
Altius. Interea tacito ſurgebat Olympo
Heſperus; hic ſaturum pecus ad præſepia cogit;
Diſceſſuque boum ſonuit mugitibus ora.

III.

Æstas.

VER adeo silvæ, ver almis utile campis
Jam satis & plantas, & bruta, levesque natantum
Vitas in venerem rapuit. Fuit aurea cæli
Temperies, mundique vigor, terræque juventa.
Sat rivos, vitreosque lacus, & florea Tempe
Vidimus; & gracili meditati carmen avena,
Egelidum volucres dum cantibus aera mulcent,
Saltantes Dryadas molli deduximus antro,
Nunc res magna trahit vagus in discrimina Titan.
Nonne vides, æstas ut hiulcis extulit arvis
Pulverulenta caput? Zephyris auraque salubri
Ripa caret, siccisque tacet deserta fluentis.
Sola, Rotinge, strepunt raucis arbusta cicadis
Ardentem ad solem, & cantus nemora avia reddunt.
Roscida non pubent tenui violaria succo;
Non flos narcissi, vel suave rubens hyacinthus
Prætereunte comas attollunt amne; nec ullos
Conjugis in gremium demittit Juppiter imbres.
Jam squalet tellus; jam torridus æstuat aer;

Jam

Jam tacitus vasto consistit in æquore Nereus.
Qui lentas procul egit oves ad flumina nota
Pastor, membra gravi exsolvit sudantia amictu
Anxius, & nudat media plus parte lacertos;
Defessusque sub aeria prosternitur ulmo
Cum grege languidulo: non plantæ incidere amores,
Non versus canere, aut tenues inflare cicutas,
Nec gracili curat fiscellam texere hibisco;
Brachia lassa jacent: sonat acer anhelitus ore.
Quæ Dea succinctæ studiis addicta Dianæ
Insidiis valles, aut edita claudere tesqua?
Quis vestrum, Fauni, cupido cinxisse puellam
Gaudeat amplexu? Tenerorum mater amorum
Deficit; & rapido succumbunt membra labori.
Si lentus, dum cuncta silent, spatieris aperta
Ad vada Benaci, interdum spirantibus auris
Lenimen curis, longisque caloribus una
Ferre potest nox; at celeri fugit axe; diemque
Ignavo captus somno placidoque cubili
Tardus sæpe dolet subito illuxisse viator.
Nititur incurvo terram proscindere aratro
Agricola; at perstant arentibus aspera glebis
Jugera, nec rigidos admittunt vomeris ictus.
Sistite anhelantes sub inani pondere tauros,

O mi-

O miseri, fessasque domum revocate puellas.
Nos premit ira Deûm, patriumque inflammat Olympum,
Placanda ante aras precibus, cæsâque juvenca, (pum,

IV.

DOMINICO CONDULMERO

PRÆFECTO BENACENSI.

Pulchra Deûm soboles, hominum sincera voluptas,
Seu Pindi juga, vel gemini deserta canora
Parnassi incolitis, Musæ; seu rupibus illis
Jucundam irrigui mutastis Tiburis umbram,
Argutasve Arni ripas & Tusca fluenta,
Dum jam fata sinunt, Benaci ad littora nota
Omnes ferte pedem, quæso, cantusque movete.
Hæc saxa, hæc vitreis manantia fontibus antra,
Et mites auras, & amabile frigus aquarum
Fas vobis meminisse, Deæ, lucosque vetustos
Visere, qua crebræ rauca edunt murmura citri,
Dulciaque assueti meditari carmina, circum
Alta nocte volant manes umbræque Catulli.
Hæc satis Italiæ formosior ora, Tyrannis
Insubribus, multisque virûm vexata rapinis

In-

Ingemuit; ſatis hæc peregrinos palluit enſes,
Bella hinc Germanis, Galliſque cientibus illinc,
Barbarus & temere cruor has infecit arenas.
Montibus indomitam ſatis erupiſſe juventam
Vidimus, inſtructam ferro, portuque Decenti
Ereptas paſſim deferre per æquora meſſes.
Dux modo vos revocat, qui mira providus arte
Triſtia barbaricæ delet veſtigia culpæ,
Et leges una, legumque reducit amorem.
Olli præſtantes animos, ſenſumque ſenilem
Orta Jovis cerebro inſpirat Tritonia virgo,
Haud tamen indignans, quod duros ipſe labores,
Et longas veſtro ſoletur carmine curas.
Hunc ergo canite, & pacis monimenta beatæ
Extruite huic aram,quam plurima quercus obumbret,
Quercus, prima altrix hominum, Jovis unica cura,
Primævum referens ramis felicibus aurum.
Non mitis Faunus, non ortus gente Sabina
Rex, ſub Aricinis docuit quem ſancta latebris
Conjux, imperii melius tractaret habenas.
Innumeras jam poſt hiemes, hoc auſpice, virtus
Fatale exſilium, & ſortem deſuevit iniquam
Ferre, & veterem dextra petit alite ſedem.
Tigrim,Tanainque ultra, Scythiamque nivalem

Mittitur omne nefas; pacemque beata per arva
Alma Ceres segetum flavis onerata maniplis,
Lætitiæque parens lenis sectatur Iacchus,
Aurea pampineis cui pendet cornibus uva.
His comites veniunt beneolentum dædala florum
Mater, & inventrix semper frondentis olivæ,
Et superi, quibus attollit se pomifer hortus,
Aut silvæ parent virides, aut lucidus æther.
Non per inæquales tacita fur nocte salebras
Errat: jam tutum stabulis decumbit apertis
Balantum vulgus, jam lata perambulat arva,
Dum lætus musam custos meditatur agrestem.
Ingeniis pax sternit iter melioribus: omnes
Certant ingenuas vitam exercere per artes,
Aut audent pelago, cognatæ in commoda gentis,
Imperiique decus, pretiosas credere merces.
Non gerit ore minas, non terret imagine pœnæ,
Cœumve, Enceladumve premit, vastumve Typhœa
Æqua Themis: gladium ponit, frenumque remittit
Utilis; & nullis concordia rupta querelis,
Et pietas antiqua redit, candorque, fidesque
Culpari metuens, & aperto gratia vultu.
Sed festæ noctes, & ludi, & sacra parantur.
Vocali Triton concha vada personat alta,

Benacusque pater citro, muscoque virenti
Implicitum applaudens udis caput exserit antris;
Et Nymphæ, gremio quotquot complectitur almo,
Exsiliunt, tranantque agili patris æquora lapsu;
Quas Saloe jam prima ciet, contexere serta
Ante alias assueta, levesque agitare choreas,
Et Tusco querulas percurrere pectine chordas.
O Saloe quantum mutata videris ab illa,
Quam cæca ambitio studia in contraria agebat!
Sic, ubi ductilibus scenis grave carceris antrum
Palleat, & nigras circum nox implicet umbras,
Vix aures notus percellit sibilus, illis
Mutatis, rerum vultus subit alter; & ingens
Porticus apparet distinctis alta columnis,
Regum clara domus, meliorve occurrit imago
Camporum, Tempeque soli. Tacet inscia turba,
Et nova miratur versa spectacula scena.
  Salve, lux Hadriæ, fatis servata secundis,
Semideûm proles. Ut tu præstantibus ausis
„ Ire per æternos ævi venientis honores
Assuesti, pacis custos! Ut pulchra refulges,
Hæres virtutis veræ, qua tempus in omne,
Addicti imperio, magni viguere parentes!
Sacris ceu quondam, posuit quos Græcia, ludis

Exercere leves illuſtri in pulvere currus,
Inque vicem eſt alter ſuccedere viſus, & alter
Curſori curſor flagrantem tradere tædam;
In patres atavis, patribuſque in pignora præſens
Sic animi vis, ſic pietas traducta relucet.
Quin patres & avos ego natis vivere in ipſis
Crediderim, haud aliter quam ſi Cyllenius ales
Egregias illorum animas virga evocet orco,
Et paſſim ſuperis permittat veſcier auris.
Quisquis picta domus penetrarit limina, & alte
Affixas tabulas, veterumque ex ordine avorum
Spirantes vultus, monimentaque cernat ahena,
Quæ gentis laudes animo, quæ facta recurſant!
Eminet ante omnes triplici ſpectanda corona
Eugenii facies. Heu ſceptra viceſque Tonantis
Heu qua tempeſtate gerit! Jam fœdere rupto
Corripuere duces haſtam; jam triſtia bella
Auſoniam quatiunt. Sævit Baſilea ſupremum
In patrem, atque omnes odiis immittit habenas;
Dumque caput ſacro celebris Ferraria cętu
Tollit ovans, inopina lues, & lethifer annus
Heu venit, & ſqualent exangui corpora tabo.
At mente Eugenius vultuque invictus eodem
Perſtat; Conciliumque Arni, mox Tibridis oris
Pro

Pro re Romana, pro relligione tuenda
Instituit: non ulla senem discrimina terrent,
Non populorum iræ, non spretæ injuria sedis.
Haud aliter duris assurgit maximus Atlas
Rupibus: adversi luctantur turbine venti
Ad latera; & rupti multa cum grandine nimbi
Ingeminant: gravis it per agros fragor, ictaque late
Robora dant gemitum. Manet ille immotus, & imbri
Intactum caput attollens super æthera, cælum
Impositum latis humeris & sidera fulcit.
Quem non Eugenii rapiat tam mascula virtus?
Ipse etiam sacro lustratam fonte salutis
Barbaricam gentem, tellure Libystide cretam
Regnisque Auroræ, & concordes mente Pelasgos
Romana recipit navi, pelagique frementis
Exsperare docet fluctus, & vincere fata.
Proximus Eugenio stat Paulus. Tota procellis
Æquora surgebant, quum Christi huic credita puppis;
At prudens pater, haud multo post tempore, nubes
Aere collectas, tempestatemque sonantem
Discutit: huic rident tranquilli cærula ponti,
Ætheriæque plagæ; Zephyrique faventibus auris
Omnis iter liquidum placido legit æquore cymba.

Tum cœpit ſtudiis otî florere beati,
Prælifque inventis, & ahenis Roma figuris
Ingenii, excudit monimenta, virûmque labores:
Tum feſta inſtituit celebri ſpectacula arena,
Et plauſu inſolito Heſperidum regnator aquarum
Inſonuit Tibris, vicinaque Tibridis arva.
Sed quid ego hęc demum nota atque antiqua revol-
Immenſum ſpatiis temere digreſſus in æquor? (vo,
Non levis ambitio, nec inani ſplendida fuco
Gloria te, Princeps, aliorum more potentum
Fallit; nec fas egregio virtute nepoti,
Durum iter ingreſſo ſponte ad ſublimia rerum,
Patres nunc alte cinctis memorare cothurnis.
Amplis nominibus major, te gratia in urbem,
Condulmere, manet tantum, ſtudiumque perenne
Conciliare homines, & devincire merendo.
Sic nullam quærit laudem, qui totus alenda
Cara in prole parens, mentes informet honeſtis
Moribus; aſt illam ſi fauſtos ante penates
Florere aſpiciat, Muſiſque choriſque viciſſim
Indulgere, ſat eſt: ultra nil numina poſcit;
De natis ſermo placet uſque; auditque refertque
Multa iocis ſuper, incerta ſuper indole multa.

Sed

Sed tibi nec meritis diſtat, nec pectore Frater, (a)
Cui lituo, bifidaque datum eſt fulgere tiara,
Et Cyprias, ſi fata ſinant, ſacra ferre per oras.
Quam læti ſolio nos illum vidimus alto
Subnixum, veteres aris indicere honores,
Divino Amramidæ ſimilem! Quo vos quoque ſenſu
Alter in alterius flexiſtis lumina vultum,
Ille ſacerdotum princeps, tu gentis & urbis,
Ambo miniſteriis inſignes, veſtibus ambo!
O quid ſplendidius noſtro ac felicius orbi
Eveniſſe putem, tales ſi regna tenerent
Tempus in omne viri! Vos talia pectora, quæſo,
Benaco ſervate, Dii, ſervate potenti
Auſonidum Genitrici, atque Hadriaco Neptuno.
Heroas heroa creent; ſemperque ſerena
E cæli regione comes natalibus aſtris
Nobilis aſpiret Genius, teneatque nepotes.

(a) *Franciſcus Condulmerus Epiſcopus Famauguſtanus, quem nuper e vivis ereptum boni omnes lugent.*

V.

Supremum, ex Christianorum religione, Dei in homines judicium.

VIximus, o gentes. Rerum fuit ordo; fuere
Secla; fuit tellus, & pontus, & igneus æther.
Venit summa dies, & ineluctabile tempus.
Ultima naturæ quæ restat imago, Dei vox
Facta, sonans late conclamat: surgite, manes;
Jura suprema dari Numen jubet. Æquora ab imo
Fundo pulsa fremunt, summisque immania saxa
Dissiliunt avulsa jugis. Prærupta Pyrene,
Atque Apennini saltus sternuntur, & Alpes
Aeriæ; sonitumque ruens dat maximus Atlas;
Turresque, & solido surgentes ære columnæ
Procumbunt; stratisque vorax furit urbibus ignis.
Quæ membris, quæ stipitibus, quæque ignea saxis
Vis latuit, subito erumpit, ceu fulmen, in auras,
Fumoque involvit cælum, & candente favilla.
Quotquot vel silvis errabant bruta, vel agris,
Atque angues ima frustra tellure latentes,

Ag-

Agmine flammarum intereunt; & vortice nigro
Obruta, ſub nimbo deletur vita volucrum.
Heu video terras, & lati cærula ponti
Fervere, & excuſſo cineres artuſque ſepultos
Eructare ſinu. Jam membris priſtina forma,
Jam reparata vetus redit in præcordia ſanguis;
Paſſimque exciti penetrant ſua corpora manes.
Quæ fuerat globus, in longum porrecta recumbit,
Arentemque refert, ſublato gurgite aquarum,
Planitiem tellus; tum gens, quanta omne per ævum
Vixit, lapſum orbem vultu pallente ſuperſtans,
Sæva ſubit cælo venientis Numinis ora.
Aligerûm glomerata phalanx deſcendit ab alto;
Purpureoque Deum curru, ſolioque coruſco
Spectandum exponit. Procul ilicet aſtra dedere
Cuncta locum: cedit trepidans Leo: plauſtra Bootæ
Vertuntur; ferroque minax formidat Orion;
Et ferrugineo ſtat ſol velatus amictu.
Quo vos proripitis? Quos nunc penetrare receſſus
Tenditis, o miſeri? Sero crimenque Deumque
Horretis; gemituſque trahuntur pectore inanes.
Crux, ſpes olim hominum, nimbis apparet in altis,
Sanguine adhuc ſacro manans, pœnaſque repoſcit.
O rerum fata! O ultoris dextra Tonantis!

Dum

Dum ſeſe in fontes effundit tota Dei mens,
Immemor e manibus naturæ frena remittit;
Cunctaque pulſa loco, nullaque coercita lege,
Qua ſubito via facta, ruunt elementa; nec ulli
Interea vultus remanent, nec ſemina rerum.
Omnia pondus iners: crevit cinis ater ubique;
Impoſitique ſedent revolutis orbibus orbes.

F I N I S.

